IGNIS LAMBENS

HISTORIA MEDICA
PROLVSIO PHYSICA

Rarum Pulchrescentis Naturæ
Specimen.



Illustrissimo & Excellentissimo Domino

ALOYSIO GEORGIO
DIVI MARCI
PROCVRATORI

Et Inuictæ Venetorum Reipublicæ Copiarum
Imperatori Fortissimo

D.

EZECHIEL DE CASTRO
Doctor Medicus Phys.



VERONÆ, Apud Franciscum Rubeum. 1642.
Superiorum Permissu.


0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10



Illustrissimo atque Excellentissimo D.


ALOYSIO GEORGIO

DIVI MARCI PROCVRATORI

Et Militiæ Venetæ Imperatori Fortissimo

Mœcenati meo Colendissimo.





Xcellentius elementum (HEROS ADMIRANDE) Solare & Igneum munus vere admirandum, Illustrissimæ Eccellentiæ tuæ libenter offero. Iure merito IGNEM, qui inter honores Augustales præferri olim & anteire solebat Principibus; nunc non minus augustum quia sacrum: iure merito ADMIRANDVM MVNVS tibi cui soli suprema frænare elementa concessit VIR-

a 2 TVS;

TVS; inferiora promisit CAELVM, Mysterioso quodam & fausto omine, cęlato in excelso tuo nomine eorundem Dominio. Admirandum compendium factus es ALOYSI MAGNE, EXCELSE GEORGI non Vrbis solum tuæ sed Orbis vniuersi; Delineauit enim in nomine tuo Diuina præuidentia, te Mari Terræque Veneti Imperij recturum habenas, sic ALOS, mare, in ALOYSIO sic GAEOS terra in GEORGIO latent ac patent. Patent multiplici Classis maritimæ, terrestrisque exercitus fælici præfectura; Latent dum sub diuino isto caracterismo fæliciora & maiora rimamur, auguramur. Quasi fertilis GEORGIANA hæc terra flores sit productura quibus inscribantur nomina Regum; quasi Pacificus hic Oceanus maiestatis primę Purpuras sit pariturus quibus summum Inclytæ Patriæ decus augeatur. O fœlix auspicium! Creatur cælitus dum nascitur MAGNVS ALOYSIVS maritimus terrestrisque moderator; nec minus gloriose in eo adimplet euentus mysterium quam in Scipionibus, Camillis, Pompeis, ac mille quorum in nominibus legebantur eorundem facinora, in vno GEORGIO cernuntur hodie auguste suorum

acer-

aceruata gesta, vnde SOLVS AVOS SVPERAT GEORGIVS; non in Camillo maior ingenuitas, non aptius ille verus Romanus (sic illum apellat Liuius) quam hic verus Venetus; non Scipionem Romanæ Reipublicæ firmiorem fore scipionem voluit Diuina dispositio quā inuictæ Venetæ MAXIMVM ALOYSIVM, vel gentilitio stemmate CLATRVM solidissimum; Nec Pōpei Pompæ desunt HEROI NOSTRO, Maieštas, Magnificentia, Benignitas, quæ toties in Generali Proconsulatu & maritimo & terrestri plenissime perfuncto hoc satis firmant: sic Terræ sic Mari dominaris SENATOR INCLYTE. Illud deesse videbatur vt Aeri & Igni superior fieres: sed nihil deest, Italorum amica sorte super pennas ventorum ferebaris, cum infami lue luxuriantem aerem coercere valuit admiranda prouidentia tua. Ignibus frænauit quondam debacchantem pestē Hippocrates; Patriam ab imminenti excidio liberauit sagacitate: tu maiori solertia, animo certe magis igneo idem præstitisti & nunc simile præstas, dum rara virtutum tuarum aromata accenduntur pyris vigilantiæ; dum immortalem æmulationis excitant flammam (vnde

immortalis fama) fumum odoris ſuauiſsimi (vnde populorum amor) quibus diffuſis nulla flagitiorum peſtis , nulla vitiorum miaſmata non ruunt funditus non penitus diſsipantur. Sic Aere ſic Igne potiris MARTIS ALVMNE FORTISSIME quia Ignis tuus vere MARTIALIS, nec mirum, MARCIALIS EST; qui tanto flagrat ardentius quanto in Europæ Zodiaco Sol Iuſtitiæ tuæ SACRVM peragrat LEONEM ita tamen vt nunquam ab eo diuellatur , eius calore gaudens & reliqua ſigna radijs Glorioſi tui nominis Implens ac Illuſtrans.

Haud inepte igitur in ſymbolum tanti luminis faculam lambentis mei ingenij coram Illuſtriſsima Excellentia tua portare auſus ſum humillimus aſſecla , non vt præluceat tibi, ſed vt ab excellenti lumine tuo humaniter excipiendo abſorbeatur , & ſub vmbra tanti Mæcenatis luceat lampyris iſta minutula , ab inuidorum & liuide exſufflantium inflatis buccis æternum tuta . Vale ſemper , & viue fælix Caſtrorum Robur & ornamentum .

Illuſtriſ. Excell. tuæ

a Tuo Caſtro.
ſeruo humilimo ac deuotiſs.

AVCTHORIS
EPIGRAMMA.

Principe fortuitum eſt naſci, mens nobilis in ſe
Principium atque a ſe, nobilitatis habet.

Tentarunt multi, ſed tu dijs chare GEORGI
Natus in exemplum, SOLVS AVOS SVPERAS.



Operis Iudicium.

DOcta Incude formatum opus vidi; Censuram non meretur, nec laude indiget; illam, quia nihil abſonum continet, nihil à veritatis ſcitis alienum; iſta, quia ſatis effert ſe dũ ſe offert. Tam nouum argumentum tam ſolide, non libaſſe tantum ſed tractaſſe, ſatis nouum fuit & abditiſſima philoſophiæ arcana tanto ſcientiarum ſatellitio penetraſſe, verſaſſe tanto acumine res adeo latentes, non eſt cuiuslibet, ſed hominis in doctrinæ arce iam poſiti. Opus igitur eſt vt opus iſtuc edatur quo philoſophiæ ſupellex augeatur, multorum illud auide expectantium minuatur fames, recreetur guſtus, omnium vtilitati conſulatur, ita cenſebat.

Veronæ 3. Kal. Iul. 1642.

D. Aloyſius Nouarinus
Veronenſis Clericus Regularis

In

In Ignem Lambentem D. Ezechielis à Castro EPIGRAMMA.

QVē flām̄is rutilū currū tua pagina Castre.
Æthereo famæ corrotat in spatio?
Vnde colūna ardet noua, quę per tetra stuporis
Nubila, noctiuagat, fulget, & igniuoma?
Ingenij virtus potuit num claustra subire
Ensem custodis cœlicolæ vt raperes?
An tacta est lingua his prunis fatalibus, antra
Naturæ pandens? nam tibi cuncta patent.
Non hic Alcidis, non hic Empedoclis ignis
Innuit ille rogos, nunciat iste polos.

D. Valerius Battaglinus
Sac. Theologiæ Magister, ac
Doctor Collegiatus.

Eiusdem disticon.

Lambit scintillans nec vrit feruidus ignis
Laurus Castre tuæ comprobauere comæ.

Hexa-

Hexaſticon.

PRæter adurentẽ lãbens tibi panditur ignis
Hoc opere;at mirũ quinq; elemẽta forẽt.
Non elementatum lambentem dixeris Ignem
Ergo elementũ,ergo quinque elemẽta vides
Hæc & inaudita, atque adeo digniſſima ſcitu
Quem legis eximius nempe libellus habet.

I. F. R. Eq. Pat. Ver.

Tetraſticon.

HInc procul ò tineę,procul hinc diſcedite blattę
Dente Palimſeſton rodito coſſe tuo
Hic phyliris folijs que liber non cedit Auerni
Hunc leget, àc adytis condet Apollo ſuis.

Ioannes Pedemontius
Patricius Veronenſis
Iuris vtiuſqe Doctor.

Ignis

Ignis Io Ignis

Gemina Modo Luce Micat
Qua Æthereus Qua Lambens
Vrit Ille Hic Ambit
Illuſtrans
Non Ætheris Sed Syderum Soboles
Hunc

Ezechiel De Caſtro

Edecumati Vir Ingenij
Elucubrationibus Luculentis
Immoriturum Ellychnium
Ad
Gloriæ Delubrum
Siſtit.

Franciſcus Pona
Eques Doctor Medicus.

Cla-

Clarissimi Atque Ornatissimi Viri

Gabrielis Lazari

Reipublicæ Venetæ
A Secretis
Pro Opere De Igne Lambente Elogium.
Liber Librum Aperit
Hic
Arcanum Arcet Arctius Artesque
Antiquorum Noua Luminum Lampas
Hæc
Extenebrat Obscura, Tenebras Exobscurat.
Alta Abstrusa
Ingentia Ingenita
Ingentibus Ingerit Ingenijs
Gerit In Gentibus
Hoc

Ezechielis de Castro

CASTRVM Dicam An ASTRVM
Vtrumque
Ex Ventre Obliuionis Cæcæ Bene Demortua
Exurgit
Scientia Prima
Viua, Videns, Vera, Virens
Non

Non Cinerescit Diuina In Cinere Virtus
Materijs Alligata Non Est
Soluitur, Non Dissoluitur
Exit Libera
Desine Mirari, Sine, Sine Oculo Oculta Cernere
Sine Sydere Considerare Syderea
Vera Sunt Legendo, Quæ Dicendo Non Similia Vero
Hominem Igneum
Ignem Innocuum
Accensum Candorem
Rubentem Albedinem
Lucidas *Tenebras*
Frigida Ardentia
Ex Thesauris Sacris Naturæque Reconditis
Offert
Liber Hic *Aureus*
Notis Adamātinis Lauro Coronatus Immortali
Magno *Illi* Æternitatis Libro
Registrandus.



Ad

Ad D. Ezech. de Caſtro,

qui poſt editas de Coloſtro lucubrationes, has etiam de Igne lambente publici Iuris fecit.

EPIGRAMMA

Coloſtrum nuper dederas, nunc adÿcis Ignē
Vt ſint ingenÿ munera cocta tui
Acrior abſtruſis tua mens dat lumina flām̄is
Nec caro ſcintillans iā ſua monſtra timet
In te crediderim poſſe hæc miracula fieri
Cognata igniculis tam ſapis aſtra tuis
Sydere ſub vario tanti eſt haurire Mineruam
Et duram aſiduo vincere thure deam
Macte tuis fœlix curis, o cura tuorum
Et tua cum promas, præco libenter ero,
Dum tamen has nubes operoſus ruperit Ignis
Fulgura maiores hæc meruere ſonos.

Henricus Humberſtonus
Nobilis Anglus, Phyſico
Medico Miles.


Hexa-

Hexaſticon.

Eiusdem.

Cur elementarẽ dubitando explodimus Ignẽ?
Mens cæca en ſecum quem dubitauit habet
Nobiſcũ hic habitat vlgaria pabula temnens
Iam noctis ſpectrum vendicat aucta dies
Igni huic pierias abſque vnda affundimus vndas
Et mixtum Aonia fingimus arte nouum.





1642. 6. Kal. Augusti.

Veronæ à Maiori S. Firmo ad S.Lucam.
Valdè Reuer. ac Illust. Sac. Theol. Doct.
D. Valerio Battaglino Crucifero
Christophorus Mariani F.



E IGNE LAMBENTE opusculum mihi non semel perlaudasti. Duo litteris præclarissima tuæ patriæ lumina (Nouarinus Pasqualigus) idem præstitere, dùm ab horum altero, vtriusque honorificum de illo testimonium, qualibet exceptione maius, accepi. Autoris modestia & mihi, vt id percurrerem pluriès tradere contendit. Recusaui, & meritò. nam post huiusmodi tantosque viros nec liberum nec tutum iudicium. Si cuncta probentur, apud expertes callidosue adulationis en in promptu suspicio: si quid verò improbetur, apud maleuolus aut fastuosus paratum nonne temeritatis conuicium? Meo periculo hæcce iàm didici. Sàt mihi vna vice in istuc incidisse: plusquàm

quàm satis, quēdā tùm æquanimiter sustinuisse. Rectè ergo vt cautus ab eiusmodi inspectione abstinui: attamen nō vt inuidus ab eius laude. Si nihil post adeò eruditum scriptorem, Vosque sapientiæ Patres conscriptos mihi emēdandū, benè quidē omnia cōmendanda. Illùc ò quam libens affero Encomiū, quò prudētissimi tales calculum! Vestro sic ex auditu obsequor iudicio, ni idem ex visu sequor. Vnde non opificis litteraturę duntaxàt prætium, sed virtuti vestrę mea commendatio tributum. Elogiū ergo, quod amicè postulando pręcepisti, pro tua humanitate excusando accipe. Si vile, tritū prouerbium. Me vide, ipsum deinceps audi: Nemo dat. *Verùm tu, qui tanti* Vales, *huic* Valorem *impertiri ne recuses. Quòd si in eo quid luminis, absit mirum; ab* Igne *enim* Lambente Lābit. *Si verò nimis frigidum: cùm Lambens non opportunus, magis, quam autori (vt saltem sic efferuescat) vrenti igni tradere ne differas. Meum quidem pręconium deficiat: non vestrum deest. Sufficiat operi, à vobis latè approbatum, ni à me aptè collaudatum. Valeat igitur epistola, quę illud perhibet; si non Elogium, quod hoc exhibet. Vale.*

De Igne Lambente

Pretiosum Opus, Operæ Prætium
Perlegere Percelebrare.
Nec Verò, Quia IGNIS, Hic Vſtio
Exiſtimanda Extimeſcenda.
Feſtiuus Quippe Lambit, Non Amburit Ferus.
Noua Huiuſce Species
Quacunque Ab Alia ò Quam Alia!
Parit HunC ASTRVM, Nec Petit Aſtra,
Sed Intelligentias;
Lucem, Splendorem, Calorem,
Scientia, Eruditione, Æmulatione,
Ingenijs, Memorijs, Voluntatibus
Sui Parte Qualibet Impartiens.
Eſca Non Eget Qui Scitis Eſcam
Nè Quidem Parat; Verùm Eſca Nę Apparet.
Corruptionis Metu Haudquaquam
Corripitur,
Corporis Expers, Animorum Hoſpes.
Qui Bonum Alijs Omen, Bono Sibi Erumpat
Omine,
Seipſo Clarus, Seipſo Tutus.
Aliena Haud Luce Indiget, Propria Diues:
Vt Non Minùs Lucem Proferat, Quàm In Lucē
Proferatur.

Inui-

Inuidiam Timens Haud Riget Qui Semper
Calidus:
Qui Non Eius Pabulum, Sed Patibulum.
Equidèm, Tantum Lumen
Qui Non Percipit, Cœcus; Qui Despicit,
Improbus.




El Doct. I. Sema à su Amigo el Dottor Castro.

ROMANCE.

EXplicar del fuego acciones
Es proprio de vuostro ingenio
Pues ai proportion no poca
Entre el author y el sugeto.
Quien puede excelente Castro
Conseguir tan alto intento
Sino vuestra ardiente pluma
Que aspira à ardientes conceptos
Toda cosa solicita
Con natiuo impulso el centro
Que mucho que el fuego à vos
Y que vos busqueis el fuego
Fuego es la sciencia y si en vos
El grado alcanzo primiero
Publique la embidia mesma
La illacion de lo propuesto
No puede aun vuestra humildad
Detener el alto vuelo
Del genio que se violenta
En inferiores empleos

De

De vueſtrà anterior fatiga
El immortal argumento
Diga ſi paſſion me incita
O ſi verdades refiero
Quien la vio que no os Iuzgaſſe
Digno de Heroicos Tropheos
Pues vitorioſo contrario
Triumphas teis del meſmo Atheo
No ſolo a la duracion,
Del alma echaſteis el ſello
Pero Prouincias os deben
Eſte beneficio meſmo
Vea tanto eſcrito el mundo
Que en bien logrados deſuelos
Quitais la fuerza al oluido
La iuridicion al tiempo.
Y à peſar del vno y otro
Os anuncio nombre æterno
Queaocupacion tan glorioſa
Se le dedica eſte præmio.



Elen-

Elenchus Capitum totius Operis.

LIBER PRIMVS.

LIBER SECVNDVS.

Erra-

Errata ſic Corrige.

noturnus	lege nocturnus pag.138.
luceret	lege lueret pag.2. lin.7.
in poſtum	lege in portum pag.2.l.3.
illuſtradiones	lege illuſtrationes p.3.l.1
amant	lege ament pag. 3.l.9.
ſummam	lege ſumma pag 3.l.25.
eoncaua	l.concaua p.4.l.23.
vita	l.vitali p.5.l.1.
æmulantur	l.æmulatur p.5.l.11.
inenarabili	l.inenarrabili p.6. l.5.
artifice	l.artifices p.7. l.26
pnngat	l.pungat p.8.l.7
concremat	l.non cremat p.8. l.11
huius	l huic p. 8. l.11.
flammas	l.flamma p.11. l.25
vrgit	l.vrget p.18.l.26.
oleus	l.Olaus p.87.l.28,



LIBER PRIMVS
De Igne Lambente.

PROGIMNASMA 1.

NON ſcribo de Igne in Genere; quod multorum fuit argumentum, & nouiſſime Antonij Perſij Eruditiſſimi; delibo tantum quod nõ licet deuorare, aut quia non patitur inſtituti ratio, aut quia luſcioſus nõ feram vehementes fulgores: ſingularis Ignis excutitur, admirando abſtruſus ſilice, vtinam ictu Chalybis ingenioli, exiliat ad naturæ gloriam, quì vulgaribus hactenus ſcintillabat ad prodigium. Pro Igne Lambente lambo varios ignes, Lucem, Flammam, Prunam, triplicem Ignem cum Platone ſic explico, illum qui luceat non vrendo; Hunc qui vrat non lucendo; medium qui luceat pariter & vrat. trutinabo adhuc aliam ignium Trinitatem. Lucentium ſcilicet & ardentium non Vrentium; Vrentium & ardentium non lucentium; de-

mum Vrentium ſolum nec ardentium nec lucentium. Singula hæc ſeorſim deguſtemus: LVX, Munerum Dei Princeps, ad cęleſtem Ignem reducitur; Immo ipſummet celeſtem ignem credidit Academia Lucem dico ſubſtantiam, Idealem immediate ab lucis Archetyppo productam vt Lumine, luceret abyſſi tenebras. Ab illa propagatum lumen lucem qualitatem mordicus perhibet lyceum nec vſquam nobiliorj dignatur induere Pallio: illo (ait) luminoſa corpora quæcunque ætherea & ſubluminaria tanquam per formam accidentariam lucent formaliter. Mutuatam a diuiniorj radio Ideæ lucis, quæ cunctis luminoſis etiam minutiſſimis hoc ſtygma inuſſit incauſtice; non vt ſubſtantialiter informaret ſed vt admiranda pulchritudine illuſtraret: & vt tanquam ex æthereis elegantior qualitas: ſic excellentiorem ex ſublunaribus, calorem, more ignis produceret. Hanc lucem in pluribus, (de quibus mox) peculiarj miſtionis ſigillo vidit natura; Gaudet æther ſua luce, ſuo Sole, veſte ſua late clauata & micantium ignium myriadibus verrucata; Lex Parturaſcens in miraculis quid non vidit? non ne legislatorem quem bleſum, diſerte loquentem audiuit, timuit ſplendentem? Non ne per ſiccos horri-
Exod. 34. doſque arenarum fluctus ſulcans hæbrea nauis, Pharon nocturnam non manu Gnidij claram ſed diuina luce rutilam ſequuta promiſſum ſe inpoſtum recipit? quid poſt? Non ne diuina ſumpſit oracula per vrim & thumim

(ideſt

(ideſt illuſtradiones & perfectiones) ex luce ſcintillantium characterum gemmaſcentis Ephodi? literis quæ ſententiam ferrent clariorj lumine præcçteris nitentibus. Ecce in his omnibus qualitatem naturalis ordinis: in vltimis actione ſupranaturali diſpoſitam ad lucendum non vrendo, vt tandem mortales, primis Pulchruant: ſecundis viuant, vltimis amant.

Pruna Perurit, quia Ignis in materia denſiorj, quia calor in ſua lima: Carbones & reliqua quæ in prunas abeunt terrea Opacitate Lucem cohibent; non prohibent; ſed excellentem diffundi vetant. Splendet Pruna, non lucet; non lucet aut Comparata flammis, aut quia antraciuorax ignis in fauillaſcente materia permanentem non continet fulgorem; in incremabili ferro longius ſeruat, quia fauillis non obruitur: vi vrendi tanto excellit potentiorj quanto ligna ex quibus carbones fiunt à ferro duritie ſuperantur, & tanto pertinacius fulget quanto plus glutinantis ſucci in materia reperit. Prunatum Ignem vere *Pyr* dici voluit Ariſtoteles, reliquos non vere, quod in hoc ſummam calefaciendi & ſiccandi acriuſque vrendi facultas inſit, non tamen penitus flammis deſtitutum, amat enim pruna fugientes flammas, nec ſequi deſinit donec omnino fumoſam non exhalauerit animam. Hunc adeo naturæ & artibus inſeruientem credidit Porticus vt naturam ipſam artificioſum clamaret ignem, vt vanafturgia ſalutaret magiſtrum.

Hunc perpetuum cuſtodiebat Iſacidum alma religio : nunc obſequitur Roma : ſimiabat olim panthomimus ethniciſmus in ſuis Veſtalibus, ſed horum excecrabilius Caldea euehere non puduit ad latriam. Sed fugio ad Cœlos, forſan & ibi prunę ni omnino vani Anaxagoras Democritus, Metrodorus Solem & aſtra, candentia & ignita ſaxa arbitrantes; ſed nugæ ſunt, non prorſus æterni illi orbes à mendacio tuti; veriores in inteligibili mundo cognouit prunas vates labyrintheus per Rhedam Diuinitatis diſperſas inter thronorum bibrantes ignes, flagrantes gyros; ſed dum nimis inflammor, accedo ad flaminam.

Leuit. ca. 6.

Eſt ignis iſte aer ardens; ecce leuiorem materiam; collige minus acrem vrendi energiam, quamuis energia omnis à forma quæ eadem ſemper, in pruna, in flamma, in luce : materia acuit aut hæbetat, ideo elementaris ignis ad lunæ concaua non vrit, ideo noſter ignis lambens extra ſe non concremat, flammarum materiam aerem aut aeream à terrę plana aut concaua ſuperficie ad ignis & lunæ fornices ſtatuunt phyſici : quid vetat eodem gradu eleuari ad empyreos arcus ? forſan nihil aliud lucentes orbes quam ignis in ſubtiliori materia, lucis nomen adeptus: vt enim elementaris raritate & leuitate ſuperat triformem aerem ſic æther ignis elementum pari orbium climace aſcendens ad ignitos, vſque empireos abſides. Nō ſecus contractior orbis ignem prunatum, in ſanguine calidiori naturali ſcilicet ſpiritu ; oſten-

oſtentat, vrentem flammam in vita; quẽ in ſua ſede (ſi per vitã liceret) non impune tetigeris: in animali, ſubtiliori ſpiritu in cęlo microcoſmi genito, materia, ſubſtantia, viribus, defecatiſſimo, ſubtiliſſimo, fortiſſimo; lucem aut cęleſtẽ ignem; Primus in venoſo ſanguine atro rubentes prunas: Secundus flammas in arteriali flaueſcentes. Tertius per neruos irradiatione velociſſima vniuerſam agitans molem radiãtem lucem & omnia peruadentem cęleſtem ignẽ æmulantur. Hic oculos, contractioris vniuerſi Soles, afluxu ſui plurimo in criſtallino humore, igneos & lucidos reddit. Lux copioſiſſime ad Solem macrocoſmi oculum confluens in aquæ cęleſtis portione criſtallina (denſiori ſcilicet) luminis ſcaturigine, ignis cæleſtis fontem, & vitæ gazophylacium edificat. Non enim lucet ignis niſi denſatus aut craſſiori iunctus corpori, aſtra partes ætheris denſiores ideo lucent quoniam natura cęli eſt ignea, quæ niſi denſetur ſenſum fugit. A denſato iſto igne aſtris dico hic admiramur fulgores, experimur ardores; non diſſimiles nec ſpetie diuerſos ab ignis fulgore aut calore: an ipſa vt lucent, calida ſint & vrant quis nouit? quis tetigit? quis in anguſtum (ait Seneca) diuina compellit? eſto, non vrant, non caleant; materiæ reſiſtentia ſæpe, (vt videbimus in inferioribus) ſufficit impedire ignis facultates cur non item in æthereis? præcipue ſi aquæa vt ex cabaliſticis myſterijs probant Hebrei cœlos ex aqua & igne factos, altiori miſtionis

Ariſt. de iuuenẽt. & ſeneƈt. cap. 3. Galen. 2. de temp. c. 3. 1. de ſeneƈt. formid. 3. 1. de ſemine 1. cap. 8. In corde igneum calorem agnouerunt.

Gal. lib. 1. de locis aff. cap. 6. & 7.

concentu ab artifice æterno, ſplendore perennantibus aſtris: Sed quid nouæ illæ flammæ ſæpe emergentes? quid poſt tempus diſparantes? nil niſi laxiores ignis aut cæli denſationes, harmonia inenarabili ad certam materiæ (aquæ ſcilicet celeſtis) appoſitione compacti: In aliquibus cito defecturam in alijs vero perpetuo duraturam. Da tu fidem Caſsiopeia quæ anno 1572. ſtupendum mortalibus ſede tua recepiſti hoſpitem: tu olor qui in pectore (anno 1600.) quaſi lactantem es ampſexatus alumnum: heus tu Ophiuche nonne anno quarto ſequenti bracteatum altero pede Cothurnum induiſti? Quid vos præficæ pleyades, nonne excidij Troyani tempore Meropem ſororem admiſiſtis ſeptimam fuſco atratam Pallio quaſi vobiſcum ploret aut vos hactenus modeſta ſoletur? annuunt ſane ſidera hec, & alia non pauca inuariata ad omnes mundi plagas Paralaxi; ſed quid mirum non variarj in firmamento Paralaxim non variarj in primo aere illud nouũ; In Ornaneo agro; In Haſaretai templi conſecratione; In Carmelo denique Lucentium, Vrentium necnon Lambentium flammarum obſeruarunt ſimilia phœnomena Ieſſeidum primi Reges, Theshites Hirſutus; inuariata ſimiliter & intemerata ſemper teleſcopio fidej conſpexere Eurus & Heſper. Sed vnde nam incorrupta iſtæc paralaxis cunctis mortalibus? cunctis terræ angulis? hæc cauſa eſt. Sunt empyrei iſti ignes, ſunt excelſi, eleuantur ſupra cunctas ſiderum ſizigias ſupra altio-

Opinio de ſtellis & cometis. Seneca li. 7 nat. quaſt. Ericius Puteanus li. de cometis. Claud. Cornelio fraugipani nel diſcorſo ſopra queſta ſtella. Thadæus Ageticus, in dial. xi de noua ſtella. Euſebius Nieremberg.

altiores cælorum Polos: quid ergo vaga mens, à ſcintillula ignis corruptili per hanc curioſam curam tibi vis?(vſurpabo lipſianum illud)tangere cæleſtes ignes ? liqueſces. ſcandere in ſupremam increatæ Lucis Arcem? cades: vt Papiliones & minuta quædam animalia veſpere lucernæ lumen identidem circumuolitant donec amburantur ſic humana mens laſciuit,circa arcanam illam flammam.

PROGYMNASMA. 11.



Ræcurrat iam alia lictorum cohors portantium faſces, faces dixerim potius, fugax enim noſter ignis & ligari cupit & illuſtrarj Ignis variæ modificationes, accidentarias pariunt differentias non varios ignes. Lucere ignem & ardere non vrendo materiæ facit aut reſiſtentia aut tenuitas, ſic non vrit ignis in ſua ſphera nec ibi cogi poteſt vt vrat, infra hæc ſepta ſemper vrit ni materiæ priua lex reluctetur: innoxia flammis Asbeſtina ſua lintea extollebat olim antiqua Cyprus, forſan & Ellychnia quibus veterum admirandæ illæ luces in Primorum ſepulchris perennabāt fuere artifice. Callymachus, Caſſiodorus, & Hiſpalenſis antiſtes, ſuis temporibus noſtris vero Licetus linceus perſcrutator, ſcriptor eruditiſſimus. Viderunt præterea

Ignis lucēs & ardens non vrens.

Plin. li. 19. Pauſ. in dolia. lib. 1. Caſſiod. de inſt. monachorum. Luc. tuicēſis li. de vitas. Iſidori. Licetus lib. de lucernis veterum.

Pythecussæ (narrat Aristoteles.) mirum in modum feruentem, non tamen comburentem; Quid patheræ ager? (ciuitas est Lyciæ Apollinis oraculo clara) totus per noctem ad instar fornacis igniuomam vaporans flammam ea naturæ lege, vt admotam manum ardore quidem pungat, non tamen adurat. Ecce resistentem materiam: Ecce leuem, differunt tamen sic, illa non consumitur, sed tangentis vrit digitos: hæc consumitur, at extra se concremat; huius rationi sibi visus est satisfecisse Hipponensis allato exemplo simili: notissimi inquit sunt Siciliæ montes qui „ tanta diuturnitate temporis atque vetustatis, „ vsque nunc & deinceps flammis æstuant, at„ que integri perseuerant, satis idonei testes „ sunt quod non omne quod ardet absumitur. „ Sed votum non implet: crederem absumi „ quidem materiam sed nouam continuo inpabuium suppeditari, vt pariter foret iudicandum de agro patherensi & similibus: melius Auicennas cum Theologis, quos refert Mo„ nopolitanus sybilla, rationem cur aliquis i„ gnis non adurat, his asignans: aeris (ait) cir„ cumambientis humidi & frigidi partes in„ trare in ipsum ignem, propter suam rarita„ tem vnde illius operationem refrigerant per „ accidens atque ita fit vt non adeo vrat. Testem audiamus insignem, Vochan prouinciam quæ præcipue in campestribus Pamor, adeo friget intense vt ignis vis reprimatur, ita vt nec luceat nec aliquid illo coqui possit; sed

Aristot. de adm. c. 35.
Ioan. Diaconus in vita Nicolai in method. in principio.
Li. de ciuit. Dei 21. c. 4
Barth. Sybyl. in dec. 1. c. 3. q. 4.
Auic. ratio.
M. Polo li. 1. ca. 28.

ſed ne tam frigido teſte frigere videar, calidiora referam quæ notarunt auctores probati. Afferant igitur Stagirita, Anazarbeus, & Nouocomenſis ſuam ſalamandram: Polyhiſtor vermes ſuos ſtellas afferat, ſuas Caryſtias: ſuam Vellouacus Chameleonteam lanuginem ſuam Grammaticus ſaxo, & Surius Hecleam ignium voraginem quibus aquæ abſumantur, impune oſculetur ſtuppæ; ſua demũ ligna Vrabana, Saxea, Amynthea, Ouietus, Hiſpanus, & Dalmata doctor: ſed ſi ligna quęras quæ ignis vim eludant, præbebit vltro Leoninũ altare, ligna ſethim ad Arielis ſacrum ignem incõcuſſa; altaris ligna (aiebat poſt talmudiſtas præfatus Doctor) quæ de lignis paradiſi ſunt igne vicino non cremantur ſed puriora reddũtur; Anilla Archelai turris rigido ducta alumine? Lumine dixerim potius circumuallatum Solymorum propugnaculum; aut ligna ignis ſuperarunt potentiam, aut ignis lignorum reuéritus eſt Sacramentum? nil mirum; nouerant iamdiu diuini ignes parcere rogis, aſpera olim Horebica ſentis lenem meruit ſentire flammam; cur item non ſentiat Sionica cedrus? Sed iam ad nodum propoſitæ triados me vocant ætherei montes ad quos qui lumina eleuauerit, lucentes & ardentes cœleſtes ignes diu noctuque non vrentes experietur.

Ariſt. c. 19. lec. 5. anim. Dioſc. li. 2. ca. 56. Plin. li. 10. c p. 63. Solin. c. 16. Vinc. Bellouacus hiſt. nat. lib. 20. cap. 58. Saxogram. in præt. hiſt. danica. Surius ann. 1537. Ouid. lib. 8 ca. 16. Petrus Hiſpal. in ſyl-ua part. 5. c. 26 Vellou. hiſt. nat. lib. 10. c. 43. Hieron. ad ca. 27. leuitici 1. l. Leoninum altare dicebatur altere Dei nam ariel etiam leonẽ Sig.

Secundæ triplicitatis ignium ſecundum iam præfert aſſecla facem vrentem & ardentem, non lucentem. Vt quid facem non luci-

lucidam? an titione atro prælustrandum iter ad naturæ adita labyrinthea? sed hoc opus: age tu Coe senex loquere tuos ignes, causones tuos lucicidas, doce, illis vrentibus, tota vt labatur dedalea microcosmi compago, harmonia, lux; tuos Celse sacros describe: tuos persicos atque prunas Auicenna. Tuos Cantabria mezandros Zosteres superstitioso extinctos sanguine, nouit Plinius enecantis balthei minacem naturam, læthali vrigine ambientis homines; si cinxerit, tollentis de medio. Isti ne ignes vrentes & ardentes? tu dubitas? audi vt anomalis minitetur Consumens ignis; *Percutiam te*, inquit, *tabe calida & æstuante & vrente febre & siccitate:* nonne calor, æstus, siccitas, vstio; ignis sunt pathognomonica quantumuis non lucentis? sic dictionis energia simili Hippocrates validas febres passim ignes appellauit: Sed nequis morose nimis nobis male arguat metalepsin, memorare pestes & morbos epidemicos post cometæ vel metheori alicuius igniti infeliciter apparentis dissolutionem: prouenire scito ob seminaria eorum inuisibiliter per aerem expansa dissemi nataque. Sic in Gallijs circa niuernam quo prima in terram sanctam suscepta est expeditio (scribit Crancius) mirabile genus morbi innotuit, tacti homines igne inuisibili ardebant qui facile penetrabat præcordia, alij pedes alij manus ea occasione præciderunt: Non quiescis? Ecce in macrocosmo rara quædam vrentis ignis sine luce pericula: in megalo politano

regno

In epid. sæpe.

Lib. 5. ca. 28. §. 4.

In Regione cātabria endemius morbus est Zoster, erysipelatis acuti species, quē zonam & cingulū vocant nonnulli. Cātabri mazādrcā vocāt, a uerbo græco maiādros. i. gyrus hūc vulgus superstitiose curat applicatos ā gnine e narib. eius qui prius morbū habuerit Plin. lib. 26 cap. 11.

Deut. 28. 20.

regno ignem non videri ardere tamen & vrere narrat Plinius]: sed melius satisfaciet Caroli Burgundiorum Ducis historia lepida, cum is Geldrensem occuparet vrbem, ante annos ab hinc longe plures quam ducentos, incensa humo nulla conspecta flamma, arborum herbarumque radices comburebantur atque ab ea regione pene in burgundiam vsque malum illud penetrauit neque remedia populi aut aqua aut re alia qualibet satis inueniebant etsi ingentibus fossis incendio præcidere vitam viresque conarentur. Olent ista portentum potius quam naturam non videri ignem terrestri mole coniugatum; aut affinitatem non contemnendam cum tartareo illo igne verè non lucente verè atrociter vrente supra omnem Callinici industriam, supra omnem græciæ immanitatem: sed quoniam facilis est dessensus auerni non autem facile remeare gradum sisto pedem; scalpant alij horrendum ignem, quorum sit cura fragilia mortalium repagula firmare penæ formidine: nos suauiorem igné, sine ardore sine luce vrentem illustremus.

Gal. li. 1. de rõe victus, com. 18. sic febrem magnam Igneæ vocare Hip. in epid. consueuit, quã si non aliã hẽat naturam prat. rqnam ignis substantiã. Lib. 5. Saxoniæ 15. Plin. lib. 2. cap. 106. Fulg. lib. 1. Callinichus fuit inuentor ignis græci.

Ex arte medica adhuc me sistit lentus ignis æqualiter sine æstu sine flammas qui exedit viscera; regium qui parenchima torret, calcinat cinefacit, exuccus languens sine dolore dolet, sine cruciatu torquetur; sine intemperie in vltima & funesta constituitur' discrasia, sic non ardet, nec inflammatur, oleo inflammabili prope consumpto; sic non lucet nec splendet, lucido iam extincto spiritu: Ex hominis contra-

Ignis vrens non lucens nec ardens.

Febris hectica descriptio lib. de inæquali intemp. & alibi.

tra-

tractiori promptuario ſenſim tolle gradum ad Pyrotica oloſirica, quæ tum natura tum ars abunde ex minerali vegetabili & animali fonte ſuppeditant: aguntardentius? hinc tolle, elige quæ frigidius vrant: quid frigide vrere? abſurda propemodum phraſis, mens frigore iſto inſulſa nimis. Sed ignibus conſumptos hæpialis, ſe ardenter frigere, ſe frigide vri clamantes aduerte: calidum & frigidum (referebat Pergamenus) per id genus ignes tenuiſſimis portiunculis aſperguntur, adeoque miſcentur inuicem, vt ne minimum quidem vnius ſumere poſsis particulam in qua alterum non ſit comprehenſum &c. Audi pariter agricolas aduſta gelu germina ſæpe nimis lamentantes & poeta exul ſæpe in ponto terram peruſtam gelu deplorabat & Vigilius ſic

Fearis Hepida.

Lib. de inæquali intēp. ad calcem.

I. georg.

——— *Rapidiue potentia Solis*
Acrior; aut Boreæ penetrabile frigus
adurat.

Sed iam vltra pugnantia iſta climata, me attollo in mentem reduco, cælorum ex aqua & igne ſtructuram mirabilem, compagem diuinam, ipſum ignem aqueo ſpiritui maritatum, quam ſizigiam indicaſſe Hippocratem teſtantur hæc verba, *habet* (inquit) *ignis ab aqua humiditatem vt mutuo aqua ab igne ſiccitatem*; quod breui Mercurialis fuſius aliquanto Tileſius tetigere, ab illius cōtinuitate & huius fluxa & facile diuiſibili lubricitate educentes argu-

Vide tucul. lib. 4.

Vrebant montana niues tolita; Cic. 2. tuſc. pernoctant venatores in niue in mōtibus uriſe patiuntur.

argumentum. Altiora adhuc conarer ſcandere myſteria ſi cauſas ſciſcitarem grandinis Memphiticæ quæ mixta igni pariter ſuper terram ferebatur. Si aquæ craſſæ ſacroſancto pregnantis igne, illumque poſt annos plures ad ſcenopegiam enixæ, obſtetrice Nehemia. Sed arcana hæc decet reuereri non extricare: nodum propoſitum aut enodare aut ſcindere iam tempus; iam me tardum nimis appellat.

Lib. 1. de Diæta.
In notis ad Hipp. li. de natura.
Deut. ca. 9.
Machab. 2. cap. 1.

Hiſtoria propoſitæ lucubrationis.



HISTO-



HISTORIA

Obſeruationis non vulgaris de Igne Lambente.



Llustriſſima Domina Caſſandra Buri, Illuſtriſs. Io. Franciſci Rambaldi Patritij Veronenſis Vxor, ætatis conſiſtentis; corporis habitu mediocri: vniuerſalis temperaturæ calidæ & humidæ, conflatæ à viſcerum craſſi. Hepatis calidioris ſicciorisque bilioſo atroque ſangnine furentis; quem innatus feruor, aduſtio, ætas proportionalis, & animi mærentis vehementia puthemata procrearunt: reliquis coctionis vitæ, & mentis inſtrumentis caliditate moderata humore non pauco exuberantibus: vnde compacta totius temperies. Hanc Præclariſſimam matronam eo indiuiduali næuo, eo in quam mobili ſigillo ſignauit natura vt quoties leuiter linteo corpus tetigerint ignis ſcintillæ ex artubus proſiliant cunctis conſpicuæ domeſticis, non ſecus ac ſi e ſilice excuterentur, etiam cum ſtridore: ducta ſæpe manus per induſij manicam ſequentem obſeruauit caudato radio curentem flammam

ad

ad inſtar accenſarum exhalationum. Sæpe ancillæ deluſæ ignem ſe intra lintea ſtragula demiſiſſe per incuriam arbitrantes cum per hyemis algores cubile de more calefacerent quo tempore etiam copioſiores, & clariores micant ſcintillæ. Alij affectus morboſi qui præclariſſimam dominam vexarunt. Hi ſunt, vt forſam ex ipſis poſſit expiſcari huius ignis naturalis cauſa: antiqua & iam longo tempore inueterata hæmicrania menſtruo aut frequentiori, atrociter repetens circuitu, quam ſæpe capillorum ſequitur de fluuium: fluor item muliebris ab hinc annis quatuor, & nouiſſime menſium anteuertentium non ſolum ſed immodicorum etiam pertinax fluxio, aquibus vltimis felici auſpicio ope noſtra curata eſt. Reſtat illud notandum quod per hæc ſymptomata nunquam febricitauerit ne quidem hemicraneo dolore quantumuis acerbius pungente nec niſi rariſſime & difficillime ſudet, à cutis enim raritate (vt aurea Hippoc. ſententia ornet hiſtoriam) alui denſitas, ab alui ſtupore omniū confuſio, poris aliunde ſatis rara vt quæ habitum mollem & delicatum ab ortu & educatione nobili ſortita ſit. Hic ignis non niſi noctu aut obſcuro loco cernitur, nec extra ſe vrit inflammabili quantumuis iuxta poſita materia.

Affe-

Affectionis nomen; an verus Ignis; & cui prædictorum adſcribendus.

Cap. I.

VOcare Ignem lambentem me docuit auctoritas cum poetarum tum philoſophorum qui affectionem tetigere; illi per prodigium, iſti per tranſennam: Nullus adhuc quod ſciam ex profeſſo rem excutere aggreſſus eſt, exempla quamuis non defuerint dederitque ætas auorum plus quam vicena, quæ facile collegiſſe fuit; Nomen itaq; impoſuere ſapientes ab ignitis illis metheoris Caſtore, Polluce, Helena, fatuo igne, & ſimilibus quę lambētia dicuntur quoniam pari cauſa accendantur, hæc in macrocoſmo, ille in contractiorj orbe nec multum diuerſa materia: forma eadē; Sed forſan videbitur exhalationis iſtius fulgurientis velocitas Ignauo linctui parum conſentanea leuiter enim & pigre nimis dicitur tangere qui lambit: Impiger noſter ignis ſcintillat, bibrat, fulgurit, vnde melius micātem aut ſcintillantem, eſſet dicere, ſed nihil obſtat. Vincit apud me connimbrica deambulatio; Vincit maro, flammam iſte Aſcanij lambentem comas deſcribens; illa Ignes: Præterea non ſemper lambere; ſegnitia; lambentes enim trecentos feruido corde animoſiores, diuinitus ſelegiſſe Gedeonem, fides eſt: Profanius

Collegium connimbriſ. de metheor. ignitis trac. 2. cap. 2.
Virgil. 2 æneid.

nius & violentius Poeta horrendos Æthnæ vomitus cum depingeret, canit?

Attollitq; globos flammarum & sidera Lambit. *Virgil. 3. Aeneid.*

Nulla hic ignauia; pauca etiam in serpente cuius ex vate Moralteo, lambere puluerem natura est: nostri ignis lambentis tam proprium serpere vt nihil magis: serpentem igitur aut lambentem ignem non inuenuste dicemus affectionem. Sed an verus ignis, an verò splendore fallat oculos examinemus: Duo notantur in physicis corporum genera bibrantium splẽdores; alia ab interno principio fulgent: alia fulgorem ab externo lumine receptum reflectunt, hoc faciunt tersa & polita omnia, vt Luna, crystallinæ gemmæ, specula, & metalla læuigata (hinc gladij micantis laminam & flammam ignis, vna voce *lahab* sacrum appellat idioma) hæc inquam dum alienos radios auide admit unt lucidiores rebibrant, læuore proprio, aucto splendore missili: vnde ad præsentiam tantum ad se radiantis luminis rutilescũt, vt sæpe in Archimedis & Procli ignes ardeant nocentissimos. Quæ ab interno principio coruscant etsi tenebras amant; sunt tamen cęlestia magis: aut æthereos habitant arcus sola nocte regnantia, aut imas illustrant vmbras, naturam ornantia: inter hæc sublunarium pręstantissimus ignis nocte gaudet, sole flaccessit & maiori luci indicicie agglutinatur, ita vt

Micheas Morasteus c. 7. 17.

Strab. li. 17

interijsse videatur ad aspectum: horum vni noster ignis lambens adæquandus, cum hoc habet, illud commune vt luceat in obscuro; ad lumen, orbetur lumine; Præterea vrit ignis iste proportionatam sibi exhalationem, & sæpe aliquantulo humore reluctante, stridendo calefacit, attenuat, disponit, donec vrat; quamuis non vrere credas illæsa satis inflammabili materia iuxta posita; illæsa cute, digitis, linteis: Exhalationis inflammatæ tenuitas hebetare diximus ignis mucronem, reliqua exteriora, aut lentore aut terrea mole ad tantillam flammam indisposita, non concipiunt ignem; verus igitur ignis hæc affectio, nec fallere oculos læuore vllo potest quo alterius luminis repercutiat scintillantes fulgores, non item ingenita lux coruscantis alicuius mixti flammas mentita aut scintillas; sunt illa permanentia, fixa & ad vitę, aut viscosi succi luminosi durationem aplanita, sunt errones nostræ scintillæ, veræ igneæ summa velocitate effluentem aut excitatam depascentes exhalationem. Hinc certo constat cui prælibatorum ignium sit iste adscribendus, non luci, quamuis luceat; non prunæ, quamuis vrat, Ergo flammæ, quę & lucet & vrit. Sed ex proximo progymnasmate primus ignis lucens & ardens, non vrens, surgit & vrgit, sibi dari hospitem ardet, lucet & ardet, ait, more nostro, ergo noster; non vrit extra se, more nostro ergo noster; sed ambobus conceditur hospes inclitus; soluit sic Isidorus litem vstio semper in mole, & crassiori corpo-

re

re vt plurimum aut calcem relinquit aut cinerem: inflāmatio in tenui adeo exercetur materia vt ardendo non fauillescat, nec relinquat (vsurpabo phrasim propheticam) combustiones calcis; sit ergo affectio ista, flamma lucens & ardens, non extra se vrens. *Ies. 33. 12.*

An affectio sit spiritus, ignitus: vbi de Zahoryis & noctu videntibus.

Cap. II.

AEthereum illud corpus, e purissima & præstantissima sanguinis parte elaboratum: illud intus impetuose permeans: illud insiti & constantis caloris inconstans fundamentum, continuo effluens, influens cōtinuo, & influens quia effluens, exitu suo perenni non est cur affectionem istius modi procreare non possit; erumpit incessanter per vniuersa cutis spiracula ad vitę dissolutionem ni prouideat sapientissima parens; ni festinet assertrix natura ad dispendium nouos resarcire, ad tutelam dilapsos renutrire spiritus: Quod erumpit horum quæ in corpore sunt læuissimum atque tenuissimum tanta proportione ignem amat vt apte supra analogiæ omnis affinitatem posis collocare, nec sinet te mentiri author libri de flatibus, spiritus (inquiens) igni nutrimentum præbet, quo si priuetur ignis vi- *Gal. lib. 1. de diff. feb. cap. 1.* *Ex. li. 3. de facult. nat.* *Hip. lib. de flatib.*

uere nō posſit: amat ignem adeo alta & ſingulari ſympathia: illi igitur leui de cauſa vel tantillo excitamento erit facile maritari: Rurſus varia circulatione elaboratæ materiæ & iam tenuitate, leuitate, & calore inſigni, tanquam ex neceſsitate tenetur natura infundere formam, nunquam vltimis negatam diſpoſitionibus: Eſt huiuſmodi ſpiritus, effluens per tenuiſsimos membrorum amfractus; de neceſſitate igitur debet igneſcere. Præterea igneos exilire e corpore ſpiritus, verè oculati teſtes affirmant ipſi oculi, in ſe ipſis ipſi ſentiunt, ipſi vident, multiplex ipſi Platonicorum mouent argumentum, mouent Galeni plaudendam auctoritatem, ſuſcitant iberiæ in ſuis Zahorijs trita miracula; cur non pariter erunt oculati artus reliqui, vt emittere ſcintillas, aut ſcintillare radios æque poſsint? hinc forſan Argus ille Ouidianus totus Pauonius aut oculatus à Poetis fictus, vt factus totus ſcintillans aut totus igneus à philoſophis crederetur. Eadem ſane militat ratio peruium enim vndequaque & permeabile corpus eoſdem vndique exhalat ignes in oculis propter inſtrumenti gemmeum læuorem micantes magis, in cute minus. Sed non venit amplectenda opinio hæc, nuſquam flammeſcunt ſpiritus, non exeuntes; non intra corpus facientes impetum, ne quidem in diarium conuerſi ignem, colliquantem quantumuis aut Britannicum: In caleſcere, corrumpi, diſsipari bene poſſunt flammas aperte & realiter concipere non poſſunt:

ſunt, calidiores enim aut corrumpuntur aut luceſcunt, non igneſcunt. Sunt ſpiritus altioris naturæ, tenuitatis ac leuitatis ſupra ignis naturam excellentioris; ſunt ætherei & ideo flammas inferioris ſferæ habitatrices deſpiciunt, peſſundant facinora eorum prope cęleſtia, naturam redolent prope cęleſtem & ab angelis paulo inferiorem; hinc tot viuorum miracula, hinc naturæ apud Ariſtotelem loqnaces, enthouſiaſmeæ, furentes, ſybillinę, ad portentum quędam in morbis Diuinę, medicatrices, profætrices; liceat & his annectere Pænorum Aquilegium admirandam in videndo naturam, quam ſi ad incudem duxero patebit forſan an igniti an flammei illorum ſint ſpiritus quibus ab alto, denſo & opaco corpore eliciant rerum viſibiles ſpecies: narrabo ſine fuco hiſtoriam. Hiſpaniæ illa pars Luſitanię contermina ſæpiſsime rarum quoddam circumfert genus hominum in metalla, aquas, vel occultos theſauros diſquirendo, qui ſub terris videant quæ altius latent, lingua vernacula Arabiſmo, aut Hæbraiſmo frequentiſsimis, Zahorios vocat, à voce *Zahar* quæ lucem meridianã ſeu ſplendorem ſonat (duxere quondam Oriẽtis illæ gentes in occidua Iberia quietem ſatis longã, non mirũ reliquiſſe voces) qui latinius loquuntur Aquileges, aut inſpectores vocitãt; de his fabellatur, nõ vltra ſeptimã hoĩs ſtaturã ſub terris aut per opacũ corpus viſionẽ elicere ad diſtantiam breuiorem cuncta exacte diſtin-

guere coloribus; per diaphanum aut trans cęruleo-coloratam molem cecutire, & orbari penitus: hāc virtutem denique à die natali acceptam credit vulgus religiose magis quam mathematice nescio quid de vagitu vteri inculcantes. Audisti veram narrationem, testor numen vera est, nobis contigit experiri prodigium in impubere, cuius ætas insons omnem diabolici præstigij poterat luere suspitionem; quod fuit effugiū pigre philosophantis Cirueli Salmāticensis|& aliorū quorundam; sed apage endomycochacos istos, Zahorium decet esse philosophum qui indefesse montium sophiæ abstrusa conuexa, rationis visu penetret, peruadat, vrinetur; sed ad limam: optarent optici æthereis suis spiritibus viscerum terræ capillares terebrare poros; vellent à cristallo oculi mittere lucidos satellites qui extra opaci corporis peruadentes, visibilia sed occultata intus, obiecta panderent, euellerent, ligata denique traherent ad sensorium; sed ignosce Plato, recalcitrat hodie Aristoteles species visibiliū ab obiectis ad oculum transmittit, in quo, non eo inficias, sunt lucidi spiritus qui vt ingenui & nobiles sic comitate summa extra fores parum exeundo excipiunt speties aduenas vt in cameram introducant cristallinam: rursus istas vt traducat speties medium quærit aut diaphanum aut illustratum actu, vel si non illustratum saltem diaphanum cum obiecto ex se lucido: sed nullum horum datur in alto opaco corpore

Lib. de sup.

Lib. 7. de placitis.

Spiritus visibus primo incursu cū ābiēte aere vnit. atque ipsum contactū ad naturæ suæ proprietatē alterat atque immutat nō tamen vlterius latiusq; extenditur.

pore

pore non obiectum lucens; non medium diaphanum aut illustre, non ergo hoc ordine haurient visionem inspectores nostri: ecce pariter explosum cum opticis peripathon quis assertor erit? Pœnus ne Auerrous, aut Cordubensis Auicenna? neuter sane: Græcos igitur appelemus, dabunt isti suum argo nautam lynceum vere Zahorium, tanta oculorum acie præditum vt parietem visu penetret: vt nouissimam lunam primamque eodem die in signo arietis, videat: vt exeuntem Cartagine classem Punicam, numerumque nauium ex lybicana specula ad centum & triginta millia passuum notet manifestissime, vt denique latentem in quercu Castorem visu & pilo pariter transuerberet; huius rei testes sunt Pindarus, Appollonius, Valerius, Solinus, Ouidius, & Varro, qui forsan diuersos describunt non vnicum: Strabonem nominat Polihistor, Iudica tu an lyncei nomen comune fuerit omnibus Zahorijs quod mutuauerint a ferę simili natura, lyncas enim seu lupos Ceruarios afirmant certo periculo philosophi conuexa montium visu penetrare: hinc Petrarca elegantissimus perspicaces & eruditos oculos elegāti methaphora vocat Ceruarios. Sed adhuc causam desideras: Ecce: tubabunt non parum Pyerius in Hieroglyphicis, & Cęlius, in antiquis lectionibus: hic iacet primum lapidem, *nullum nempe dari corpus omnino perspicuitatis expers*, ille secundum: *ea scilicet que terræ sinu ad aliquam distantiā delitescunt iacere ex se proprias ima-* *Lib.11.* *Lib.26.c.8.*

gines quæ proximo aere suspendantur. Cuius rei exemplum experimur deiecto in cauum aliquod vas nummo, quem tametsi longe recesserimus simul ac vas aqua expletum fuerit, intuemur, fundo etiam ipsius vasis se ostentante in aquæ superficie, quippe rerum earum radijs in aquæ summum se se exporrigentibus, ea tibi species redditur, quæ aqua inde subducta, vasculi curuitate intercipitur, ac ne videri possit præpeditur. Sed per terræ opacitatem qui trasmittetur imago? qui species? qui marmoreis colendus simulachris Fracastorius simulachra sua producet; suam epipolim? an valebit paritas ab aquæ claritate ad terræ obscuritatem? quid ni? si in extis terræ existat color aliquis, (colorem enim appello cum Platone flammulam quandam genitam in corporibus participatione illius cęlestis luminis, ex qua quemadmodum lumen ex luce repente diffunditur in totum aerem, in ipsum pariter diffunditur lumen quoddam præditum natura ipsius coloris.) hoc sufficit, qualitates enim quæ sensus, mouent, omnes quidem subiectum, in quo per se sunt, densum amant, medium vero per quod feruntur earum species non omnes densum volunt, sed quædam rarum exposcunt, quæ quædam densius: lux in subiecto raro non videtur in densiori videtur, medium vero per quod species illius transit rarum esse oportet. Sed adhuc hæres: quæ raritas, (ais) in opacitate? quod medium diaphanum in corpore denso? quiesce parum, cerne raritatem in aere

Lib. de sym pathia. c. 5.

Plato in timeo.

aere

aere poris terræ contento, cerne medium sufficiens quo ſpeties à rebus intus latentibus extra ducantur. Sunt ſpirituales ſpeties ſunt intentionales ſic dictæ, quod tenuitate ſumma anguſtiſſimo capiantur termino quod momento etiam gignantur; color rurſus quem flammam diximus e ſingulis corporibus emanantem, ratione flammæ proximum aerem neceſſe eſt vt illuſtret per quem licet communis hominum oculus propter ingentem improportionem non eliciat viſionem non tamen negandum eſt per illum deferri ſpeties, quæ Aquilegium oculis proportione ſua coaptentur, ſymbolizent & quieſcant. Sed ab altero extremo rem aggredientes vbi nam illorum exotica virtus? an in anima, ſpecifico Diuinitus ornata munere? vt credunt Nauarrus Alpizcoeta & Veracrucius de ſalutatoribus. Qui pariter in Hiſpaniæ Mediterraneis vrbibus ære ſoluuntur publico ad curandam rabiem, ſolo afflatu canes aut rabida quæuis alia animalia ſubito interimentibus; vt de marſis, pſillijs, & Ophiogenis impune aſpides tractantibus ſcripſit Plinius: An in oculis, in quibus ſubſit humor tranſparens atque pellucidus cum exili & debili ſpiritu, qui efficit Meridianæ lucis impatientes, tenebrarum vero ferentes aptiſſime, quales vidi plurimos inter quos Burdegalæ inſignem philoſophiæ præceptorem P. Baiolium Ieſuitam interdiu cæſijs oculis cæcutientem: noctu

Nau. lib. de confeſſione. Verac. li. 2. de anima ſpecifica.

Li. 7. cap. 2.

noctu vero in tenebris legentem epiſtolas & legentem minutiſſima quæque. Simile referunt Connimbricenſes de ciue quodam Brigantinæ Vrbis in Luſitania altis tenebris acutiſſime cuncta diſtinguente; tritum eſt illud etiam quod Suetonius de Tiberio retulit noctu expergefactum pauliſper non aliter quam media luce omnia contueri tenebris paulatim ſeſe obducentibus. Sed in brutis liberalior multo ſe præbuit natura quando lupos feles, glires, mures, ſorices, noctuas nicticoraces & veſpertiliones & ſexenta laternis ornauit geminis interdiu languentibus, noctu micãtibus eminus, hos omnes moderate lucidum obiectum offendit vehementer, exiles & paucos ſpiritus facile diſgregat, ac facit euaneſcere: nox congregat & acuit. An his annectemus Zahorios noſtros? ſiquidem per diaphana aut cærulea vt lynces cæcutiant; per obſcura & opaca contueantur valide; nequaquam: Cõſtat enim, hos non lædi meridiano Sole, nec fulgoribus extremis labefactari illis oculos; quinimmo vt fungantur munere meridianam lucem quærunt; vt nomen indicat; adde quod noctu nihil ſupra communem hominum videndi naturam, cernant; nullos ex oculis reliquis cõſpicuos emittant radios, vt exacte ſumus experti: quæ cuncta in præfatis obſeruare licet. Quid ergo? ſpiritus ne examinabo? forſan non male; audi quam docte diuiſerit Galenus. Ex quo ſi non prorſus quieueris ſaltem lucem hauries non paucam, ſic loquitur lib. de ſympt. cauſis. Spiritus

Lib. 2. de anima q. 9. art. 1.

In vita Tiberij.

tus animalis viſorius, vel ad vnguem purus eſt, vt æther, vel nebulæ ritu humidus, ac turbidus. Præterea in modo ſubſtantiæ vel plus eius habetur vel minus. Ac ſiquidem multus eſt & æthereus etiam quæ longiſſime abſunt videt, ac perfecte diſcernit. Sin paucus eſt & purus quæ prope ſunt exacte dignoſcit: quæ procul abſunt non videt; quod ſi humidus multuſque eſt longiſſime quidem videt, ſed non exacte; ſicuti etiamſi humidus ſimul exiguuſque eſt, nec exacte, nec lõgiſſime videt: hæc ille. Nulla harum diſpoſitionum litem dirimit, ſed aduerte has eſſe genericas ſpirituum coniugationes; mentem fige profundius, mutuare Zahorios oculos vt penitius ſcruteris poſſe in mille & mille ſyzigias per varios & perfectiores gradus combinari inter ſe ſpiritus & indiuidua li inenarrabilique tonò componi ad conſentus harmonicos: alma parens in vagãdo pulchrior fides torquet & pulſat: arte ſua grammatica elementa congiungit ad ſyllabas ad verba abſtruſi idiomatis nobis inexpertis puerulis ignoti; illa legit, illa loquitur, illa denique cęleſtis narrat gloriam cuncta ſapienter diſponentis Dei: nec male diem natalem accuſaſſet vulgus ſi ſciret certis diebus produci miracula; non corrumpi cadauera eorum qui naſcantur diebus Ianuarij 27. 30. vel 31. ſcripſit Beda venerabilis, poſſunt ſimiliter natos Zahorios eficere aſtrorum certi, & ignoti aſpectus, quibus humores & ſpiritus ad admirandum cernendi modum diſponantur; hæc eſt ratio nil quæras am-

Gal. lib. 1. cap. 2.

Lib. de natura infantiam f. 397

amplius. Huiusmodi itaque spiritus (vt argumenta contrariorum diluantur) nobilitate cum igne symbolizari concedimus; sed altioris esse naturæ asserimus, ☞ Vt nunquaam veras flammas concipere possint,excandescant quãtumuis & inflammentur vt sæpe per iras contingit micare oculos, rubore ora perfundi, manus & linguam turgere quin imo e labijs furentis Scanderbeghi prorumpere sanguinem & denique e corporis latebris ad externas partes vndique euocari; qui apud Hippocrat. ignis est nutrimentum crassior est spiritus,exhalatio potius fumosa aut vapor leuis,ad istius vltimam dispositionem versus calorem & siccitatem succedere formam flammæ concedimus; ad calorem vero tenuitatem & leuitatem spiritus purioris,minime: quæ non sunt ad flammam dispositiones, sed ad lucem, vt constat in spiritibus qui in oculis felium & luporũ manifeste apparent, & in hominum quorundam & cunctorum oculos retorquentium, nõ igitur affectio hæc scintillans est spiritus ignitus quicquid dicat Vaninus qui causam referre videtur ad spiritus per excandescentias e corpore prorumpentes, non aduertens per summam animi tranquillitatem sic affectis exilire flammas immo & dormientibus,vt notabitur. Sed de his satis.

I. Cas. Vaninus de admirãdis naturæ libr. 3. dial. 49.

An

An affectio sit exhalatio ab humore biliosô, aut melancholico: loci Hip. de bile, & aqua: de aqua & melanch. illustrati.

Cap. III.

EN rursus Gladiatores duo (vtraque bilis) descendunt in arenam, strenui ambo ambo feroces, pallidus vnus, pullus alter fauillacea hic atratus veste, ille flaua coruscus: huic amara lingua, illi acerba, si excandescant, atrocissimi ambo, mordaces, ad extremum vrentes: inducet hic ad pugnam sagum vitellinum, porraceum, eruginosum; ille adustum, ampullantem, piceum: sed nolo iratos athletas volo mites, posco an tranquille spirantes ignitos valeant emittere halitus. Ab aula igitur naturæ Principis sa iecore nimirum purpureo, surgit de tetragemina humorum generosa proie, calidissima atque siccissima bilis; ardentioris congener tempestatis; ætatis feruentioris; sublimioris denique elimenti amor & sympathia: cui datum sit moris eiusdem perpetim exhalare fumos; si non quot cęteri fratres, acriores saltem; qui facillime flammas concipiant, non igitur dubitandum ex his pendere nostrã affectionẽ siquidem fumus oĩs non

Gal. com. 1. ad li. de na. hum. tex. 46 que hæc qui dem oĩa.

Gal. 3. prognost. cõ. 30

Gal. com. de natur. hum. tex. dico autẽ sanguine

Gal. lib. 2. de præcog. expulsibus cap. 1.

Iul. cæs. Scalig. exerc. 9. contra card.

Brauu. Petrasit. li. de saporum & odorũ diff. cap. 17.

non paucas in se includat ignis particulas, vt ex ascensu supra aerem argutissime coniectauit Scaliger: quanto plures includet eleuatus à bilioso succo calidissimo atque siccissimo? necessum enim est, aiebat Petrasitanus, vt orta suis principijs attestentur, & omne quod decidit ei a quo decidit habeatur simile; est ergo facillimum inflammari erumpentes biliosas exhalationes; sicque affectionem istam procreari.

Armis paribus Cataphractus succus ater ex eisdem catapultis cineritros bibrat ignes; vult ipse suis halitibus producere affectum; sed qui fiet? qui Crassus, terreus ac frigidus humor, copia inter reliquos pauperrimus, ossibus nutriendis solum dicatus, fuligines emittet tam de facili inflammabiles? hac de causa Rondeletius negabat spleni emungere fæcalem sanguinem, quem paucum credebat totum impendi in ossium & similium frigidarum partium nutritione, nec quicquam eius educi exhalationibus: cum partes ipsius succi subtiliores si quæ forent crassioribus inseruirent pro vehiculo ad nutriendi opus, non secus ac serum illis à natura datum pro socio, vt crasitiei segnitia seri fluxibilitate iuuaretur, idque adeo copioso, vt quanto plus pullularet nigri succi, tartarei, ac fæculentis tanto copiosiori sero dilueretur massa sanguinis, vt facilius per ductus proprios ad opus obeundum quocunque duceretur ac flueret. Hinc illa Hippocratis humorum preclara diuisio *in sanguinem, bilem, pituitam*,

Hipp. li. de genitura.

tam, & aquam. In qua ſicco & terreo humori, humidam & liquidam tribuit non ſolum appellationem ſed & naturam; quam ſententiam eodem libro ſæpe repetiuit, *aquam humorum grauiſſimum & ab ſplene trahi* ſcribens, nec non libro de morbis deſcribendo, humoribus fontes à natura datos, *ſanguinis, ait, fons eſt cor, pituitæ caput, aquæ ſplen, bilis locus folliculi in hæpate*, quibus ingentem ſignificare videtur, connexionem aut identitatem potius, aquæ cum ſucco melancholico.

Lib. de morbis ad tritiũ

Li. 1. locor. com. ca. 11.

Sed ne nobis Valeriola doctiſsimus opponat libros de morbis eſſe ſpurios & Hippocrati dictos illegitime, propugnabit opinionem experientia, deffendet ratio & eiuſdem Hippocratis non violandum teſtimoniũ: aduerte huius rei periculum in agitatis Hipocondriaco affectu qui ptialiſmo ad nauſeam prolixe ora madent: præcipuum huius morbi ſignum ex Diocle indicatum à Galeno: quos etiam quaſſat quartana febris, quam tartarea bilis produxerat, ſæpe in aquas diſſolui dicas, copioſis maioribus; ſed adhuc parum attentius diſſeca alites liene ad vnum orbatos & veſica: quid hoc? quo nam ſe recipit aquæ potus aut ſerum? quo ſex craſsioris ſanguinis? Comune inuenere emunctorium, & vt vnum fuere ſic in pennas vnicum excrementum abijſſe certũ eſt. Sed præferatur ratio, præter allatam de vehiculi neceſsitate additur iſta, humoris melancholici frigidi & ſicci præſentia neceſſe eſt ventriculi hepatis, & vicinarum partium calorem

Li. 3. de locis aff.

rem

rem natiuum exſolui, hinc cruditatum, flatuũ & aquarum maximus prouentus, hinc ſigna efflorescunt melancholicorum ab ortu naturę notiſſima, & à Sanctorio compendioſe coacta, gracilitatem, laxitatem articulorum, glabritum, timiditatem, cutis frigiditatem & lenitatem & venarum denique anguſtiam: Reſtat nũc obſeruare Bionem Hippocraticum, ſimul multum mingentem ſine ſubſidentia, cui ſanguis e nare ſiniſtra manabat, erat enim ſplen illi in gibbum elatus ac durus. Ecce lineoſum copioſo exuberantem ſero, ecce per vrinas curatum, ſeu poſt Coum Senem Conſule Pergamenum, Auicennam, Paulum, Raſium & neotericos, & confirmaberis, humorem melancholicum aquam eſſe apud Hippocratem, qua ratione forſan *edacem* aut *voracem* illam appellauat, ſcimus enim eliene in ventriculi fundum effundi ſucci melancholici portionem vt aciditate corrugando excitet appetentiam: Ex his concludere licet non facile ab humore melancholico naturali inflammari eleuatos vapores, obtundi enim à nimio ſero neceſſe eſt tum humore tum frigiditate terrea. Nec obſtat quod diximus auibus aquam & ſuccum melancholicum, abire in pennas ſæpe lucidis variegatas coloribus (memento Platonem colorem vocaſſe flammam) ſæpe noctu, vt dicetur lucentibus, quæ tum ſiccitate, tum coloribus, nitore aut ſplendore non parum flammeſcunt, quia auium temperies illud fert: quod illis natura eſt, hominibus ſumma foret intemperies

Sanctor. in fen. Auic.

Hipp. lib. 2. epid. ſ. 2.

Gal. 2. lib. ad Glauc.

Hier. Reuſner curat Scorbuti & Scheletirb.

peries de qua non modo agimus, disputaturi sequenti capite scimus enim præternaturalē melancholiam, quam atrambilem cum Gal. vocare expedit; calidissimam, vrentem, ac fermentātem ampullis terram, a qua talia produci sit facile, non autem à ſucco melancholico naturali frigido & ſeroſo.

Sed an à bilioſo possit fieri; ſuperiora ſi steterint argumenta, crederem facile, insignis enim est caliditatis energia ſupra ſubſtantiæ diſpoſitionem nec apparebit magis arduum bilioſam exhalationem; congenerem concipere flammam, quàm in ipſam bilem calidam & ſiccam conuerti contrarium elementum, frigidam nempe & humidam aquam, quod tamen post Hippocratis admirādam doctrinæ lucem experimur quotidie; monebat enim ille bilioſis ab aqua cane peius & angue eſſe fugiendum; audi verba non fallentis linguæ: *Sic alioqui*, aiebat, *neque ſitim ſedat ſed irritat bilioſa enim bilioſæ naturæ & Hippocondrio praua & peſſima & biliosiſſima & vires maxime proſternens cum in vacuum fuerit ingreſſa, & lien augens & hepar eſt cum exarſerint*. Hanc ſententiam enodare cupiens Valleſius. Docet, aquam neque id quod illi videtur maxime proprium hoc eſt ſitim ſedare in omnibus præſtare poſſe, nam bilioſa eſt bilioſæ naturę, & cui eſt bilioſa nō poteſt ſitim extinguere ſed irritare potius; ſed quo pacto erit cuique bilioſa aqua, bili tantopere contraria frigida cum ſit & humida? non certe quod ipſa in

Hipp. lib. 3. de fracturis prope finē.

Hippoc. 3. acut. & G. cō. 40. e 42.

Comm. eius loci.

bilem mutetur (non enim poteſt) ſed quod bilis inundationem faciens ipſam quodammodo augeat faciatque huc & illuc redundare, nihil enim magis experimento cognitum quam eis qui nimia abundant bile, aquæ potu bilis augeri amaritudinem quia diluta effunditur ad os vſque bilis; irritabitur ergo talibus ab aqua ſitis. Sed hanc ſolutionem refutat Thomas à Veiga, tenetq; doctiſſime *aquam vere in bilem verti*. Propter puritatem ſuæ ſubſtantiæ & morã in viſceribus, vbi viſcera bile abundant: non quod quidam aiunt quia per antiperiſtaſim auget internum calorem neque quod alij ſcribũt (ſic inuehit Luſitanus) quia attenuat aut fundit bilem & quia ad ſenſum videtur augere eã, ſed quia vere ex Hippocrate, & Galeno vertitur in bilem, nam à validiſſimo agente aqua mixta exiguæ bili tota abit in bilem tenuem, non ſecus quam à calore ſolis aqua paludoſa cum exigua terra abit in anguillam: nam id merito videtur admirabile, aiebat Brachelius; quod in homine aliorum vincat ſubſtãtia, aliorum qualitas, donec ex phyſicis audiuerimus quod caliditatis inter reliqua ſit maxima energia, quo fit vt parua ignis portiuncula maximã terræ molem adæquet, ſubinde etiam vincat; eſt autem ſiccitatis quam humiditatis energia potentior, iam neque terra & aqua ſimpliciter in homine vincunt ſed ſubſtantia tantum, vt aliorum qualitas. Amplectitur pariter hunc ſentiendi modum Augenius Horatius pereleganter exponẽdo Hippocratis præcitatam autho-

Hiere. Brachelius com. ad lib. de tẽperamẽtis.

Hor. aug. tom. 2. li. 2. epiſt. medi.

thoritatem. Nec eruditissimi Mercurialis reijcienda omnino venit sententia id fieri quidẽ affirmantis sed paucam aquæ copiam à multa bile, contra cuius feruorem minorem aquæ copiam in Hipocondrijs permanentem nullam habere reactionem, ac perinde à bile multa superari, vnde feruorem, bilis auget veluti pabuli copiam adepta; sed subtilior ac verior à doctis opinio Veigæ admittitur vt quæ Hippocratis menti sit consentanea magis: Ergo si adeo efficax experitur choleræ virtus in trasmutanda aqua in suam substantiam adinstar ignis qui omnia in se vertere natus est; cur non facilius symbolizantes amplectetur flammas eius pyria exhalatio? Cernis e punctato porosoque aurantij cortice si digitis ad lucernæ flammam leuiter comprimas (inuentum popinonis palati) vt exiliat calidissimus ac subtilissimus succus qui saliens lucide inflammetur, (hinc luchetum dedere nomen hibaces Iberi) secus; eo, medescat parmula scisi putaminis? Non aliter erumpens è corpore biliosa fuligo quæ si flammas in ambiente offenderet posset tenuiore sui parte inflammari; humidiore rorari cutem; crassiori barbescere. Sed non respondet periculum, hirtant artus, stillant pori, vaporant membra, nil tamen flammescit iuxta flammam posita: superant crassæ & humidæ partes, obtunditur illis ficcior exhalatio, præterea bilis naturalis aut melancholia in venis, reliquis semper permixtæ humoribus nõ possunt puram & synceram emit-

Mercur. in var. lect. lib. 2.

tere biliosam aut atram exhalationem, non enim supernatant vel separantur humores naturales in massa sanguinaria, semper confusi fluunt, cõfusos pariter eiaculare fumos necesse est; sic quamuis calidi non accenduntur à partibus frigidis & humidis impediti: qui vero a bile quę in felleũ folliculum separata truditur possunt eleuari, etiam cum reliquis vaporibus exeundo miscentur, nec accendi queunt. Concludatur ergo ab exhalationibus bilis, aut melancholiæ naturalis non posse procreari hunc affectum, nec posse, illas accendi nec flammas concipere. Aliunde igitur hauriamus erumpentes istos ignes & exploremus.

An affectio sit excrementum tertiæ coctionis: vbi agitur de sudore cruento.

Cap. IV.

QVa regione sit oriundus ignitus iste sudor: cuius coctionis effugiat finem; transgrediatur fines, hic locus discutere: insensibilem transpirationem, non sudoribus, rhypis aut furfuribus, non fumo, vaporẽ, aut pilis, non denique cutaneis mille affectibus factam sensibilẽ, cernere stupor est; ignitã exossare, acumẽ. Dicite veteres, nonne vestra credidisset religio, naturam hic fecisse proteruiam?

uiam? iuraſſet equidem, dum enim vrũtur flã-
mis alimenti reliquiæ, quid niſi proteruia? quid
niſi libamen? ſed ad rem acedo, tertiæ coctio-
nis excrementa inquiro, inter illa quæſiturus
noſtros ignes: ſi Galenum ſequar inueniam in
membris fieri concoctionem quam dicunt ter-
tiam, ſparſo per illa tenui glutine quod ſecun-
da regio rorat perpetim, nutriendæ parti ſem-
per contrarium quapropter neceſſe eſt in illa
actione aliquod ſeparari excrementum aſſi-
milationi incongruens: ſeptuplex cognouit ha-
ctenus phyſiologia hocce purgamentum, ha-
litum nempe inſenſibilem, ſudorem, ſordes,
pilos, vngues, lac, & ſemen, ex quibus, præte-
reo vltima quę ſpetiei tantum conſeruandæ di-
cauit natura, ſordes, pili, & vngues, tertiæ co-
ctionis indubitanter ſunt ſoboles, illam effu-
giunt & per regionem pariter tertiam ſenſi-
biliter expurgata cernuntur: Priora duo qui-
bus proximius accedunt noſtri ignes, ſecun-
dam potius videntur pro natali patria agno-
ſcere regionem, ibi enim euaporatio maior
vbi copioſior humiditas, vbi calor vegetior:
neque eſt dubium hoc reperiri in iecore & ve-
nis, ne dicam in ventriculo, præuiarum co-
ctionum officinæ, certius quam in membris,
quod clare indicant bracteata hæc Galeni ver-
ba, *iam expiratio ipſa* (aiebat) *ad euacuan-
dum quod veluti fuligo ſanguinis eſt mire
conducit, fauilla quippe, fumus & fuli-
go & omnis eiuſmodi vſtæ materiæ ſuper-
fluitas non ſecus quam aqua conſueuit ignem*

extinguere, ex omnibus itaque sunt recipiendi ij qui dicunt insiti caloris gratia respirare animalia, nam & moderate illum tum ventilari tum refrigerari expedit, motumque aliquem præfici fuliginoso excreméto, quod nascitur ex vstione sanguinis, explodendo. Itaque ex ventilatione principij caloris insiti & ex moderata refrigeratione & ex eius quod in ipso veluti fumosum est defluxione, vnum coaceruatur caput & summa conseruatio videlicet naturalis caloris. Ecce vt exhalationes sanguineni emundent effluxu suo; ecce vt flamma vitalis lychni seruetur hoc obstruente exploso obice: nec diuersa ratio expirationis & transpirationis hac per poros, illac per ampliores ductus in eundem tenditur finem, vtraque manu emungitur lucerna vitę quam in tertiæ regionis locis nemo locauerit, *sanguinis fons est cor*, dicebat Hippocrates: secundæ regionis domus regiæ Cor & Iecur: venæ & arteriæ viæ publicæ: illic vigorosior Ignis, illic copiosior fuligo, illic pariter ventilationis, refrigerij, & transpirationis maior necessitas. Cur ergo incongrue his ornabimus coctionem tertiam? Addo quod sudoris & exhalationis insignis est affinitas, cum hæc illius immediata fuerit materia & prius sudor omnis vaporauerit: hic sine dubio secundæ coctionis est soboles, ergo & exhalatio: Nulla animalia exanguia sudare voluit Philosophus: eandem esse materiam sudoris & Vraniæ passim scripsit Galenus: sanguinem liquatum & extenuatum vocauit sudorem

dorem Empedocles: Poros venulas esse tenuissimas quibus dilatatis quandoque sudari sanguinem non dubitauit post Aristotelẽ Pergamenus; sudores igitur ad secundam concoctionem expectare credendũ est; igitur & lance pari vapores & exhalationes quę non minus quam humorum fuligines in venis formam suam adquirunt illam non mutaturæ in tertia regione, donec à Calore vitali foras explosæ insensibiliter resoluantur in auras, comprehensit Galenus duplicis excrementi productionem, singulari sententia *consentaneum est* (aiebat) *ex potu ipso aliquid fieri cum sanguine in iecore genito, quod postea non solum per vrinam, sed per sudorem vel insensibiliter euacuetur.* Hæc & similia argumenta Mercato medicorum in Europa primæ notæ vim intulerunt, vt scriberet sudorem non tertiæ concoctionis, sed tertiæ regionis esse excrementum: cernis tu discrimen? non dubito idem opinaturum de exhalationibus per poros excretis, sed in hæmatosi aut chilosi nascentibus, quas tanta ingenij solertia ad veterum inuidiam hoc seculo pandit & pendit Sanctorij statera, tanti pendentis perspirationem ad primæ concoctionis leuamen & pensum: nouissimæ sunt illius aphoristicæ sentẽtiæ quare nõ plura inculcabo. Sed vrgeant quantumuis, Galeni solidior sensenda est sententia, ac totis amplectenda vlnis: excernit sudorem tertia concoctio: excernit insensibilem halitum qui transpiratio vocitatur; si hygriæ, in Pẽtagono, corpus con-

Gal. lib. de potentijs naturalibus in fine lib. de sanit. ca. 12.

Li. de consultandi ratione disp. de sudore.

Sanct. Sanctorij lib. de statica medicina aph. 62. 64. &c. & com. in Auuic.

ſtitutum ſpectes, ſin minus accuſa pariter ſecundam coctionem ſimul cum tertia expellentem excrementum illud infeſtum & pungens: ſed quo ingennio id tentet natura; paucis accipe: Prima coctio chylificat, ſecunda ſanguificat; emungit illa craſſiori fece primitium & lacteum cremorem; hæc vltro iam elaboratum at purpuratum, cribrat & tergit recrementis felle & limo ad opus nutritionis inutilibus. Nec illud ſatis, tertius adhuc hinc excernitur officioſior aſſecla, e potulenta materia, a prima maſticatione ad vltimum vſque cambium ſe ingerens veluti tranſmutationis ſarcoticæ ſolers proxeneta, ſerum dico, quod fili inſtar Ariadnei ſanguinem per labyrintheos venarum amfractus ad vltimos vſq; capillares tubulos non ſolum manu ducit ſed vlnis & pectore geſtat, non enim poterat ſine dilecto ſocio integrari aut perfici ſanguis, non fluere, non penetrare, non ad ſubſtãtialem mutationẽ diſponi aut accedere, dixeris certo modo, præternaturam puriorem ſãguinem, dixeris pigrum aut torpidum ſi tanto orbaberis fratre dydimo, ſi natali emũxeris vectore ſero, exuitur ſanguis ſua forma; purpurea ſua veſte, exue pariter cõſeruante ſpiritu, (aquam apte vocauere ſpiritũ priſci ſapientes) tunc fidelis ſocius ſanguinem inuito deſerit, neſcit deſerere, vult adhuc carnẽ, ſãguinis prolem legitimam irrigare ne ſiccitate nimium areſcat aut tabeſcat. Mox plurifariam diuidi incipit: pars ad venas retrocedit iam inutilis per renes itura in lotium: pars in vapores & ſudores conuerſa cutẽ quærit. Pars

ocu-

oculos,datura materiã fletui:pars denidue oficiosior, non prorsus oblita seruiendi cor petit, eius capsulã occupat vt pro molli puluino, pro sella pẽtili inseruiat regio visceri: oportuit humanæ structuræ axem irrigari; opportuit primũ mobile hominis temperari cristallino isto circulo, ne iugi motu ignesceret tota machina. En tibi obsequentis seri officia,vario isto fine à coctione tertia distincta & separata,quamuis vnicam in secunda habuerint genesim & quãuis humorum in venis præcellentium naturam & odorẽ sapiant, amarescunt enim sæpe sudores, flauescunt,rubent,chlorunt,aut nigricant, pro bilis prædominio;ratione pari cæterorum succorum laruati tincturis sæpe prorumpunt, adeoq; fucati vt in eruditorum palestra non pauci cum luctando excitauerint puluerẽ: An .s.per sudorem humor qualiscunq; manente sua forma possit euacuari.Qui affirmatiuã propugnãt opinionẽ,in medium producũt Philosophũ lib. 3.de part.anim.c.5.hæc scribentem, *iã nonnullis accid.t vt cruentum quoddam excrementũ sudarent propter vitiatum corporis habitum.s. cum corpus laxum fluxumq;esset sanguisq;præ cruditate humesceret imbecillitate caloris qui exiguis venulis inclusus cõcoquere non posset.* quẽ simili verborum serie sequitur Auerroës, *Accidit,namq;ait, raro tamẽ quibusdam ex hominibus vt sudent sudorem sanguinolentũ,quod euenit propter tenuitatẽ sanguinis illorũ apertionemq; orificiorũ venarum eorundẽ:* a philosophis trãseũt,ad Medicos,idẽ cõprobasse Gal. contendunt lib.de vtil.Resp.post mediũ dicẽtẽ.

Gale. 3. de sympt.causis c. lib. 4. de sanit.tuẽda c.1.

Arist. li.3. de part. animal. ca.5.

Auerrous in com. huius loci.

Con-

Cal. lib. de vtil. Reip. *Gal. lib. de antidotis.* *Beni. cur. 4.* *Cast. Hãb. li. de morb. mulierũ. 2. cap. 11. p. l.* *amatus lusitanus.* *Musa Brasau. merc.* *Vesal. 5. de fab. 15.*

Contingit sæpe poros ex multo & feruido spiritu vsque dilatari, vt etiam exeat sanguis per eos vt fiat sudor sanguineus: itemque libro de antidotis: Neotericos etiam perlustrant & euoluunt, Schenchium, Beniuennium, Hamburgensem Castreum & Sexentos, qui sudorem cruentum curando obseruarunt nec sudorem tantum, sed & menstruum sanguinem, nõ per mammas, per sedales venas, per os, nares, aut secessum (quod facile est,) sed per oculorum angulos, per vngues auricularis aut annularis digiti, stata periodo & admirabili circulo erumpentem viderunt. Relictis medicis, Historicos adhuc perscrutantur ex Diodoro Siculo deuehunt Hæmorrhoos serpentes, atroci morsu, sudores elicientes sanguineos, quorum naturam post Veronensem Macrum, post Nicandrum poetas antiquissimos, soluto penicillo delinearunt Greuinius, Lynocerius, Gesnerus, Aldrouandus & alij sed nullus Siculo Elegantius: audi; *Erat*, inquit, *in Indiæ Orientalis tractu magna vis serpentum, qui haud magni, corporum varietate distinguebantur, alioqui æneis virgis spetie erant consimiles, nonnulli densa & hirsuta crista arrigebantur, atque omnium ea erat morsus vis vt mortem citissimam inferrent, si qui enim ab eis læsi fuerant grauissimo torquebantur dolore fluebatque & toto corpore cruentatus quidam sudor;* Id absque serpentum viru subinde Hęmorrhagiam similem in Alcmeone ex Plutarco commemorãt. (pullulant non raro ab interno principio Domestici

Lib. 17. biblioth. in regno Alex. ann. 9.

mestici Napelli; germinant intestina aconita; vidit Vitus phalangicas choreas, vidimus sine cane latratus, sine morsu vidimus hydrophobias.) Sed neque in historia pedem figunt; Theologos Christicolæ examinant; Medici Anthiocheni obseruationem non solum referunt sed adorant, ex angore factum Christo sudorem sicut guttæ sanguinis cadentis in terram. Quid plura? Rationes his dictis addere conantur, primam eliciunt e sudoribus criticis qui per morbos contingunt, in quibus humor biliosus antequam in vaporem conuertatur, sub propria forma per sudorem excernitur: Roborant argumentum Hippocratis doctrina dicentis, *sudorem hac da causa fieri, quicunque morbi in iudicatorijs diebus iudicantur & febrilis ignis dimittitur in his de pituita & bile quod tenuissimum est liquatur &c.* liquari, nō euaporari ad expulsionem criticam, pecantem succum voluisse Senem contendunt. Secundam rationem acuunt animi passionibus quibus datū sit sanguinem attenuare & in feruorem commutare vt per poros sub propria forma quamuis tenui excerni possit: Nec istā propositionem fulcro destituant Galenum volunt docuisse *per animi passiones corpus varijs mutationibus permutari, vt modo calescat modo frigescat &c.* Tertiam formant e sanguine per immoderatum coitum excreto, aut per mammas nimio suctu ad lactis exhaustum emulcto quod cum Hippocrate obseruarūt Lusitanus & Brassabolus. Si enim per illos amfractus

1. Ratio.

Hipp. lib. 1. de morbis in principio.

2. Ratio.

Gal. in arte cur. ad Glauc. c. de Ephem. ex pass. anim. 2. de placitis, cap. 7.

3. Ratio.

ctus potest excerni, cur non pariter (aiunt) per poros dabitur erumpere? Possent & quartũ addere argumentũ à diapedesi, per quam si transcolatus sanguis per minutissima illa venalis contexturæ foraminula potest fluere; cur non per faciliorem & laxiorem cutis contexturam. Fauent huic rationi Gal. verba 5. meth. m c. 2. dicentis, *sane profluit ex vena aut arteria sanguis aut reserato earum ore aut tunica earum diuisa, aut transcolatus siue sudoris instar transfusus* & mox: *Diapedesis ex tunica rarefacta & attenuato sãguine oritur*, aduertevt de sãguinis fluxu loquatur aperte, quam causam etiã practici omnes inter hæmoptoicas numerant.

4. Ratio.

Gal. 5. met. med. cap. 2.

Ex Cęlio Rodigino adhuc, non inepte quintum desumunt testimoniũ, referente cruentati sudoris quatuor causas, constitutionis. s. prauitatem, corporis laxitatem, sanguinis aquositatẽ vel humectationem nimiam, & caloris insiti imbecillitatem: quæ omnes causæ possunt simul reperiri, ergo & sudor veri sanguinis; ecce arma quibus isti se muniunt. Qui vero cõtrariã amant opinionem non posse, s. sanguinem nec quemuis alium humorem naturalem seruata substantiali forma educi per sudorem: stabiliũt necessitatem modi substantiæ, tenuitatis nimirũ aut crassitiei ad formæ humoris conseruationem, illiusq; nexũ cum temperamẽto proprio; nec posse istum persistere labẽte altera, quibus simul pereuntibus nõ videri amplius posse subsistere formam in liquido composito: modum substantiæ dicunt disperdi tenuitate, eadem

5. Ratio.

Cęlius Rod. li. 5. cap. 2.

intem-

intemperari temperiem, his corrumpi formã naturalis ſucci, fieriq; ſeroſum quendã liquorẽ humorũ præexiſtẽtiũ in venis odore ſapore & tinctura adũbratum, præterea ſic exoſſant authorũ loca præcitata purũ ſanguinẽ ſudari nõ dixiſſe philoſophũ ſed cruẽtatum ſerum mordicus tenent: Auctoritati auctoritatẽ opponũt iſtã. Ex lib. de Hiſt. anim. c. 19. *S ſanguis immo dice humeſcit, morbus infeſtat: ſic enim ſpetiem ſaniei diluitur & adeo ſereſcit vt iam nonnulli ſudore cruento exſudarint*; *ſudorem cruentum* hic memorat, nõ cruorẽ; alibi *cruentũ quoddã excrementũ*; Diodorus *cruẽtatum* Auerrous, *ſudorem ſanguinolentũ*; Alchmeonem *Ichorẽ* ſudaſſe non ſanguinẽ, firmaſſe Plut. aſſerit Buſtamãtinus: locũ Gal. e lib. de vtil. reſpirationis damnant velut ſpurium, plenum dogmatibus doctrinæ Gal. repugnantibus: ſnĩam Hipp. qua primũ roborarunt argumentũ non integre ab aduerſarijs illatã exhibẽt ſic abſoluũt & *accendit partem extra corpus & partẽ intus & pars quæ in corpore relinquitur vapor, fit vnde fit ſudor*; ſic ſoluũt: argumentũ abſolute negãt, prius .n. humor oĩs futurus criticus fit vapor inde ſudor, ſi amareſcat, ſi flaueſcat, bilis eſt accidens, nõ bilis. Diſce hoc à Gal. loco ſup. cit. animi pathemata poſſe corp⁹ varijs agitare procellis cõcedunt, Gal. oculato teſte, *totum corpus* (dicẽte) *in huiuſmodi paſſionibus vidimus immutari modo palleſcere, frigeſcere, tremore, quo in metu fit; modo erubeſcere, caleſcere & vehementer incẽdi vt in excãdẽtia*, ſed aliquã paſſionẽ

Gal. li. 3. de ſymp. cauſ.

Ar'ſt. li. de H. anim. 3. cap. 19.

Cam. Buſt. lib. 2. de anim. ſcript. ſacræ c. 16. t. 1.

Hipp. li. de morb. in principio.

3. de ſymp. cauſ.

Lib. de Placitis c. 7.

posse verum sanguinem per cutem in sudorem impellere hoc negant, qui enim ad sudorem attenuatur iam nimis serescit, iam nimis desinit esse sanguis. Ad Christi sudorem nihil effecisse credunt motus animi, cum per timorem & agoniam sanguinem non sudasset naturaliter. Sunt enim passiones istæ quę potius ad interiora trudunt sanguinem quam foras expellant vt constat ex loco Galeni ex lib. 25. de sympt. causis. Vbi sic *per timorem & spiritus & sanguis intus se recipiunt, per iram vero soluuntur ac disperguntur, proindeque exteriora incalescunt; at Agonia affectus ex vtrisque conflatus inæquales habet motiones* sed cum à sensu literali tam Græco quam Latino verum fuisse sanguinem aseuerent; necesse est pariter vt illum supra naturæ modum excretum stabiliant; quamuis non desint Theologi nominis non infimi qui istum sudorem naturæ finibus terminauerint. Tertio argumento negant paritatem; diuersa enim est ratio sanguinis per patentes spermaticos ductus eliciti aut per mammarum tubulos emuncti; & cruenti sudoris; crassiora multo sunt sanguine lac & semen, non ergo mirum tenuiorem succum exire per vias crassiorum quos nemo vnquam viderit per cutem expulsos. Ad diapedesim quartam hæmoptois causam respondent, per illam non verum excerni sanguinem sed substantiam ichorosam habentem seri spetiem & tenuitatem qua propter in genere cruentæ excretionis nō esse recipiendam, tertio de sympt.

cau-

causis expressit Galenus. *Simile* excrementum sanguinolentum excerni dicunt à causis à Cęlio Rodigino relatis, praua enim constitutio humorum compagem labefactat, imbecillus calor, non satis concoquit; Laxitas corporis non satis retinet, nimia humiditas facit serescere & temperiem cum modo substantiæ dissoluere & mutare. Cruentatum ergo serum sudari concludunt non purum sangu nem, cuius substantiam ex aqueo & terreo permixtam voluit Aristoteles & ideo crassiorem quam vt educi queat per cutem quod tantum serosæ illę humiditati datum est consequi, si tamen prius alterationem illam insignem subierit vt in vaporem conuertatur in poris formam guttarum rorātium accepturum, quæ mutatio subita absolute humorum naturis est incongrua, cum igitur verus sanguis non possit in vaporē immediate transmutari, mox reuerti in sudorem puri sanguinis; necesse est sudores quos hactenus obseruarūt physicia, ut nō fuisse sudores; sed excretiones per anastomasim factas per nimiam pororum laxitatem nauseantibus venularum osculis & ex se decidente gustatim cruore, (poros enim esse venulas tenuissimas iam supra ni fallor diximus & Galenus etiam videtur hoc annuere dum transcolationem ad anatomosim reducit) aut si fuerint sudores fuisse Ichorosos aut seri cruentati, ad instar maioris orbis qui à primis seculis hucusque tot vidit nubium cruētas solutiones; sanguineas pluuias, tot hæmorragias fluuiorum & fontium, *3. De part. anim. ca. 5.*

euol-

euolue Liuium, Zonaram, Surium, & sexcentos; an ista veri sanguinis? absit à philosopho id credere: sanguinem nouit mentiri miniatus color, e locis cruore aut rubenti succo madentibus eleuati vapores funduntur in cruentas pluuias, vt in sybillinis habetur oraculis:

Lib.4. *Et minio similes guttæ labentur ab alto.*

Sic fluuij & fontes sæpe, si vnam Memphiticam Nili exceperis hæmorrhagiam. vere sanguis fuit ille quem Moysis bacculus produxit, corruptis fluuij aquis, fuit diuina virtus verum hæpar, verum vitæ principium a quibus solum forma sanguinis potest erumpere; in reliquis casibus ad quos elapsa obstupuit ætas tū pluuiarum tum torrentium quære adscitisciam sanguinis tincturam. In æthnicorum simulachris cruorem sæpe fundentibus, accusa fraudē miniatæ sandarachæ, seu resinosæ cædri ad ambientis calorem liquescentis, ergo nullus in nube sanguis, nullus in scaturigine fontium vitæ caracter, nulla in idolis veritas; liquores sunt omnia tincti, non aliter coloratum serum sudat microcosmus quam amplior orbis, vtroque tamen non raro ludit summus artifex ad terrorem mortalium, fine sibi noto: sic nunquam incassum furit noster ignis (a quo iamdiu aberraui) alta semper petit, promittit, portendit, (vt dicemus in corona operis) sufficiat iam firmasse excrementum tertiæ coctionis ad instar insensibilis cuiusuis halitus, secum tamen defer-

deferre, à secunda, empyreumatis impressa vestigia quibus facile sit accendi & ignescere.

An affectio fiat ab humoribus putridis: locus Leuit. de lepra physice explicatus; de fascinio; de morbis anemÿs; nachir, & gutta grampa.

Cap. V.

QVod sanum corpus transpirat, quod sudat à tertia expelli concoctione sancitũ est: quod vero e corpore defluit cachochymo, à venis & arterijs iudicari aut deponi certũ; sunt pori comune emũctorium, per illud natura potens, per acutos morbos se exonerat, ad illud impotens per eosdem sepe victa cadit: loquimini diuini numeri; dicite dies quos ad crisim natura dixit. Per affectus chronicos aut neutras valetudines, vt plurimum fieri ad cutẽ metastases, non raro decubitus qui factas tollãt intemperies aut futuras prohibeãt (quod Hipp. solito laconismo ad vnguem expressit 6. epid. sect. 3. tex. 35. 36. 37.) collige hinc exhalantẽ nostrum ignẽ ab humoribus præternaturã se habentibus ortum ducere, qui fiet. n. vt à calido humido, à miti dulcique sanorum tẽperie producatur ignea flammarum substãtia? qui tã extrema caliditas quæ tã de facili vltima ad ignẽ fiat

D dispo-

diſpoſitio tenebit humores ſine inſigni putredine? qui in ſexu ac temperamento humidioribus tanta ſiccitas? tanta tenuitas in excrementorum hypocondriaca congerie? nec afferāt nobis Alexandrum & toto corpore odorem exhalantem ſuauiſſimum: non Reges Indos quibus illud connaturatum ab vſu frequētiſſimo Bethelis, aut Cachundi: non Cardanū perpetuo odorem aliquem percipientem qui e cute ſibi iugiter erumperet: non mirum illud; aptius enim natiuus calor adeo infra naturam ignis conſtitutus producet odores quam ignes, quia illorum efficiēs cauſa licet ſit calida ſemper, non admodum tamen ſed mediocriter: vehemens enim calor halitus nimis diſſipando odoribus aduerſus eſt. Ipſe varij iſtius odoris cauſas manifeſtiſſimas refert ad ſubtilitatem ſenſuum maximam, ad cutis raritatem, ad humorum tenuitatem vnde perpetua ſenſibilis exhalatio. Sed potior hæc ratio, ægrotauit ſemper medicus ille ipſe fatetur pro miraculo; *neque enim*(ait)*memini me cum iam 52. annum excegerim vna die tota integra valuiſſe ſed ſemper aliquid ſenſiſſe incommodi*: non fuiſſet mirum ſi ignes quoque eiaculaſſet ſed non adeo incaluerunt humores, odorem attingere valuerunt non ignem: Indiæ Reges continuo hauſtu odorati pharmaci odoratos exhalant vapores quod forſan & magnus operabatur Macedo vt tetros frequentis crapulæ nidores arte vinceret & obtunderet: nec nouum eſt in naturæ viridario produci hunc florem,

Lib.8.c.43. de variete rerum.

per

per varias nimirum alterationes & mutationes conſeruari aſſumptorum qualitates; mulier & capra (dicebat Hippocrates) ſi elaterium ſumpſerint pueris purgatio, ecce in lacte ſeruata cathartica virtus: memorare amplius Ponti, & Cambaiæ Reges potentiſſimos ad extremam cutem protraxiſſe medicaminum poteſtates vt ille iam totus antidotus venena reſpueret; hic omni peſte ſæuiret atrociùs totus factus napellus totus regulus, nemo igitur ambigat in poſterum quia medicaminis quod natura omni ex parte non valet vincere ſeruantur ad plures mutationes impreſſa veſtigia: alimenti non ſeruātur, quia naturalis ignis illud alterat penitus, coquit & immutat: ſuperat natura pharmaci modum ſubſtantiæ; venenum ſuperare non poteſt, quod in excellentiori conſiſtat modo, quam à temperie caloris natiui poſſit euinci; in contrarijs fac idem periculum: bezoartici energia quæ non reſidet in primis qualitatibus, alteratis illis, inconcuſſa manet & caloris natiui vim eludit, ita vt vſu prolixiori fiant mille Mytridates ad quoſuis ictus virulentos inſauciabiles, vt ſecus verſa cōſuetudine mille prodeant Guzarati Reges: mille puellæ venenati conſortij: mille fàcinatrices Toletanæ, quarum ars mētiri docta, naturam ab interno caractere facinantem ſagax emuletur, vt in Triballis & Illirijs, in Africa, Scythia, & Ponto obſeruarūt, Iſigonus, Nymphodorus, Apollonides, Philarchus, Solinus, Philoſtratus, & Sexcenti, quorum faſcinatio

Lib. 6. epid. ſect. 5. text. 34.

absque omni arte, obuios quoscunque miasmatibus pollueret & mortibus, effluente per oculos & cutẽ vniuersam ab interna corruptione tetro ac pernitioso halitu; cupientem experiri, non relegabo ad hyperboreos Scytas, non ad Afros adustos: Illirios aut Triballos mittã ad quotidianam menstruam fæminę consuetudinem, quam Zabrorũ lex adeo horrebat ac detestabatur, vt sola domi manere mulier præciperetur, loca cremarẽtur in quibus pedem posuisset, neque solum pollueretur qui alloqueretur eam sed super quem ventus ab ea parte vbi illa foret trãsijsset latam dixisses ad sacrã Leuiticæ normam, sed an ambæ propter effectus lęthiferos aut altiora mysteria perpendãt theologi: hoc dicam medicus: Eo sanguine excidente visum esse tactas nouellas vites lædi in perpetuum, steriles reddi tactu fruges, emori insita, exuri hortorum germina, mustum acescere, ęs & ferrum rubigine corripi, prægnantem mulierem abortire, non prægnantem concipiendi spem amittere, eboris & speculorum nitorem pannosis obscurari maculis, canes in rabiẽ agi, homines affligi mille cruciatibus; quod prudens silebo, addam illud ex Fernelio, a veteribus inter venena fuisse relatum, sed non adeo scrupulose, non possũ enim accusare sanguinem illum purum, rubentem, & iugulatæ victimę similem, (sic depinxerat Hippocrates) nulla in hoc fascinatio, nullum contagium, nullum vitium a muliere bene constituta si erumpat. In illis tantummodo vitiatur quibus deterri-

terrimum ineſt vteri vel totius temperamentum, aut morbus aliquis, aut improſpere procedunt menſes, ſic omne naturale faſcinium habere non dubito pro parentibus corruptos ſuccos, vitiatos ſpiritus, aut labefactata interna viſcera, à quib. eleuati noxij halitus mox ſpiritus inficiunt, immaginationẽ intenſe mouent (vt patet in ſtomacho turpiter picante corruptorũ analoga:) mox per oculos & cutem eiaculãtur, adeo imperceptibili aura, adeo veloci radio vt dificile naturale à teſſallonico diſtinguas faſcinio; hoc inquinatam naturam fætenti fædere augendo carmina ſubdit, barbaras voces, & cęleſtia ſydera: teſtis eſt aphrodiſeus dum faſcinatores aperte veneficos ſtatuit; nec dubium eſt augeri venenis faſcinium, augeri carmine; id probant non pauca carmina. Ouidius.

Nec mediæ marſis ſinduntur cantibus angues
Nec redit in fontes vnda ſupina ſuos.

Et illud.

Pocula ſi quando ſæuæ infecere neuercæ
Miſcueruntq; herbas & non innoxia verba
Auxiliũ venit, ac mẽbris agit atra venena;

Et illud tritum.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis:

Hac arte vſas Triballorum & Illiriorũ relatas gentes auctor eſt Plinius his verbis; *fæminas* Lib. 7. ca.
Bythiæ & in Põto tiburnũ genus & in Triballis & Illirijs qui viſu effacinent interimantq; quos diutius iratis oculis inſpexerĩt (quod facilius ſentiũt puberes) pupillas binas in ſingulis oculis habentes, eaſdem nõ poſſe mergi ne veſte quidẽ ”

grauatas. Ecce morbificam & infectam harum gentium temperiem, quid enim oculos duplici afici pupilla nisi morbus? visu interimere quid nisi labem à pestilente latenti latice surgentem explodere? ecce artem infamem non posse mergi, quo experimento infallibili veneficas hodie Germania probat vt testis est Bodinus, qui cum Theologis nullum fascinium naturale existimat, omne prorsus dæmoniacū veneficum aut artificiale credit, quod pariter Vairus amplectitur; nec immerito quod enim vulgus fascinium vocat, & reducit ad naturalia principia contagium est potius; sic sentio: non solum quod à manifesta putredine dimanat, sed adhuc quod à corruptione totius substantiæ contagiose disseminari statuit diuinus Fernelius: dicam igitur contagium, simplicem quantumuis qualitatem, medium immaterialiter afficientem, seu mauis per intentionales, reales tamen species, aut epipolim: & inficientem venenato corruptelę caractere, quod à cęlesti influentia & tali elemẽtorum proportione acquisiuit effacinans corpus, summa agendi virtute præditum vt quidquid tangat perniciosa inficiat qualitate & in effascinantem & corruptam naturam vertat, ac immutet & se ipsum multiplicando, qualitatesque corporis cõsumendo ad cor perueniat vitalium spirituum solium, illosque dissipet & corrumpat nec ista internecio à simplici putredine; non à dissoluto temperamẽto sed ex abditiore causa procedit, supra elementorum conditionem posita, quæ dum

Lib. 4. ca. 4. demonomania.

De abditis rerum causis.

dum nobis eſt infenſa non corporis temperamentum ſed totam illius ſubſtantiam primum ac per ſe offendit, vt cui ſit prorſus inimica. Hoc cauſarum genere numerantur omnia peſtifera, deleteria & venena quorum ferocia in natiuum noſtrum diuinumque calorem in ipſumque vitæ principium maxime ac primum ſæuit atque debacchatur. Non raro etiam his abtruſis principijs copulantur cauſæ materiales, maritaturque putredo ſimplex, e quorum conſortio, ò quot peſtes, quot putida inquinamenta, quot virulenta faſcinia exurgunt: enumera ſyphillides, exanthemata, Vngaricas Theriodes, Britannicos hydronoſſos, Morauicas ſcarificationes, Scorbutos, Hydrophobias, elephantes, & quæcunque extrema ſuccorum parit ſupernantia, obſeruatum eſt illuſtrem puerum qui hodie iuuenis elegans, vene carnoſam & robuſtam agit vitam, ab inflicto pernitioſo faſcinio toto anno integro laboraſſe, nec aliud parentes inueniſſe remedium poſt eluſam medicornm celebrium curam & opē præter expiationem per exorciſmata quæ accerſita vetula ſubmurmurando eructauit: quid ſucceſſerit audi, carnes quas omnino liquefecerat morbus recuperauit, a febricula liberatus colliquante quę in oſſibus iam inoleſcebat, tandē terminata eſt virulentia in inſignem cerebri ſiccitatem (mirum in puero) quæ illum in horribilem Hydrophobiam deduxit quæ per ætatem paulatim euanuit: quid in cauſa rogo tanti mali? extrema ſupernatantia, inſignis ca-

chochymia,quę vna nocte per plures deiectiones se exhibuit singulo secessu diuersum deijciens excrementum: referam exactius primo bilem atram aut nigrum succum (sic credere volo) secundo lacteum chylum, aut quid simile: tertio flauam aut croceam bilem: quarto paulo adustiorem, aut fusco colore tinctam, quinto pallidiorem, sexto demum magis concoctum excrementum ad cibalem materiam vergēs: quid dixisses Hippocrates de variegatis deiectionibus quas omnes lethales decreuisti? est aliquid diuinum in morbis, hoc certum est, est consortium cælestis qualitatis cum materiali, à quo hæc portenta. Quid in cancro vniuersali non mirari dabitur cuius pernitiosum contagium leges singulis ciuitatibus præscripsit? paucas numerare licebit de illustrioribus quę extrapomeria non habeant nosocomia ære extructa publico ad elephanticorum relegationem; qui olim iubente Aronide extra castra mittebantur eodem iudice exacte discernebatur inter varias lepræ mundę vel immūdę species, sed illud admirandum & in hoc morbo plāne diuinum, vniuersalem plagam nitidam dici & impollutam; particularem vero pollutam, inquinatam & cōtagiosam, hæc sunt legis intemerata verba. *Sin autem effloruerit discurrens lepra in cute & operuerit omnem carnem à capite vsque ad pedes quidquid sub aspectu oculorum cadit considerabit eum sacerdos & teneri lepra mundissima iudicabit eo quod omnis in candorem versa sit & idcirco homo mun-*

Lib. 1. prog. ca. 13. t. 23.

Leuit. c. 13.

mundus erit, quando vero caro viuens in eo apparuerit tunc sacerdotis iudicio polluetur & inter immundos reputabitur, caro enim viua si lepra aspergitur immunda est, quod si rursus versa fuerit in alborem & totum hominẽ operuerit considerabit eum sacerdos & mundum esse decernet; &c. Non tangam anagogicos sẽsus, venerandi sunt non ventilandi, non polyticos; non ethycos, explicauit eleganter Philo, Physicos conor peruadere recessus; sic alimine saluto: Videtur non parum consentanea lex naturali rationi, nam quanto excrementa abũdantius per cutem erumpunt, tanto minus interna læduntur viscera: & tanto vegetius exhibetur naturalis facultatis robur: in vitiosis ergo cotporum dispositionibus & cacochymijs exigua quædam in cute eflorescere in prauis est, quia impotentia expultricis arguitur & vt causa parum confert, parum enim est quod exit, e corpore, quare merito timetur male par tibus altioribus, vbi vero contra plurimum est quod extra cutem truditur vndique à capite ad pedes totum interius corpus manere purum, est consentaneum: in hanc sententiam scripta sunt quamplurima ab Hip. multis in locis, apertissime vero, & quod ad hunc locum maxime facit, hæc verba, *sed & quæ sub cutẽ abscedunt foras tubercula velut putrescẽtia & quæ suppurantur aut vlcus aut eiusmodi pustulæ aut scãmę, aut defluuiũ capillorũ, vitiligines, leprę aut eiusmodi quæ abscessus sunt aceruatim fluentes & nõ semirepentes.* His docet Hippocrates *Lib. 2. epid. sect. 2.*

has

has omnes excretiones excrementorum in cutem esse debere copiosas non semifientes, quia per copiosas excretiones manet mundum interius corpus: vera sunt hæc & solida: sic explicabat doctissimus Vallesius; sed nos penitiora rimemur.

De sacra phil. ca. 19. de lep. Sit illud ratū & constans axioma, *quidquid corrumpitur inficit aerem & obuios quoscunq; donec corruptio terminauerit* hoc, confirmat Theoph. scribēs laconice lib. de odoribus, *quidquid corrumpitur tetrum exhalat odorē*, quod plurimo comprobari potest experimento, oua dum corrumpuntur horrendo & fœdo halitu aerem ad nauseam inquinant, terminata corruptione exeunt pulli: quid corrupto vino exsecrabilius? acetū eius terminus corruptionis, impedit corrupttonem: basilicon & spica celtica herbæ satis odoræ si corrumpi incipiant extreme fætent, si desinant corrumpi in olea & balsama fragrantissima & saluberrima euadunt; quid plura? corrupta genitura naturam induit veneni & mille crudelium morborum existit causa, pari gradu elephanticorum sanguis dum corrumpitur contagiose inficitur donec tota massa sanguinaria fuerit immutata penitus & ad vltimum peruenerit corruptionis gradum, tunc omnino cessat periculum cōtagij; tunc secure conceditur leprosorum consuetudo, & ad liberum cæterorum consortium tanquam impolluti & vere mundi reuocantur: hæc sane præclara & elegans legis physica enodatio, adquam non parum accedunt nostri

ſtri ignis per cutem eruptiones, intus enim corrupti latices, terribilia quæ non cauſarunt ſympthomata? acerbus hæmicraneus dolor: de fluuium capillorum & reliqui in hiſtoria de picti affectus quam non arguunt ſupernatantiã? peculiari foco congeſtam, quę demum vbi vltimum corruptionis gradum acquiſiuerit ad cutem euaporans in naturam euadit igneam, nobiliſſimam ſcintillantem & incorruptibilẽ. Sed aduerte in præſenti obſeruatione & ſimilibus multis quæ ſuo loco deſcribentur non adeo inſignem humorum putredinem inueniri ſiquidem febris abeſt & inter ſtatas hemicraniæ periodos illæſas prorſus ædit actiones: ſic poteſt ſatisfieri, non dari quidem putredinem abſolutam, ſed potius corruptionem humoris in hypocondrijs congeſti a quo iſtę perturbationes & aduſtorum halituum effluxus ignei, qui ſuccus non ſolum corruptione ſed viſcerum excellenti calore non paruam concepit ſalcedinem vnde prompta phlogoſis & ad ignem aptiſſima diſpoſitio ſalſa enim facile igneſcere oſtendit Ariſtoteles problem. 23. 13. quærens *cur mare potis ſit flammam emittere aqua potabilis non item*; cauſam reddit *quia oleum ex ſale extrahi poſſit*, at cum oleum flammam producat non eſt à ratione alienum poſſe mare flammigerare propter oleaceam quam in ſe continet partem, qua cum potabilis aqua careat flammas emittere nequit quemadmodum, neque marmor, neque glacies in flammam prorumpere poſſunt, non poſſunt dul-

dulces ſani & bene temperati humores flammas emittere aut vapores igneos, ſunt dulcia *cauſta aphlogista*; quæ cremari quidem poſſunt non autem ignis fulgorem concipere, vt voluit Philoſophus, 4.metheor. 9. & 2.de anima.tex.43.at ſalſa & amara vere ſunt *phlogiſta* ſunt vſtibilia & flammantia: omnis igitur humor vt eſt ignis pabulum cremari aptus, eſt nō tamen omnis flammam concipere, ſed ille tantum qui aliquid pingue & oleaceum habet, vt aqua ſalſa & corrupti, ſalſi aduſtique ſucci. Qui medium tenent locum vt qui in ſe vim ignis non ſuceperunt adeo excellentem & puram, fuere fumus & fuligo, obſeruatum eſt in quodam Salomone Hebreo Veneto, qui, ſquāmoſo impetigine vniuerſum corpus occupante fumum adeo denſum & caliginoſum quoties furfuraceas ſquammas ſcalperet, emittebat vt viſum interciperet. Sed tamen occaſio mali, fuit ſalitorum nimius vſus quæ pituitoſum ſuccum ita diſponere valuerunt ad fumum non ad ignem. Adhuc paulo inferius ſolet ſiſtere aduſtionis gradus; ignem aut fumum cum non poſſit, ſudorem fundit olidum tetrum & nidoroſum vt patet in Capro, pedum & alarum fœditate; de qua ſic luſere poetæ,

Morbus caper.

Catullus.

Valle ſub alarum trux habitare caper.

Et Horatius.

An grauis hirſutis cubet Hircus in alis.

Et

Et Apollinaris Sydonius.

Trito sub cothurno Epod. 2.

Fert olidæ marem capellæ:

Et Ouidius munditiem imperans amatoribus post longam fucorum seriem ait.

Nec male odorati sit tristis anhelitus oris

Nec lædat nares virque paterq; gregis. Ouid. lib. 5. de arte amandi.

Satis obscura frasis credenti feram, nescienti morbum quem græci tragon dixere qua voce etiam vsus est Martialis.

Citra tres istos adustionis aut salsuginis terminos, ignem, fumum, sudorē, adhuc debilius agit adurens calor in humore corrupto; anemia excitat symptomata, ambulonem flatum, luxuriantem, furiosum: non loquor de lasso ac languido calore cuius proprium est excitare flatus quos intensissimus soluit penitus, vt rigidum frigus cogit & ligat, testantur hæc Boreales & Procyoniæ Serenitates: tempestates Pleyadum & arcturi. Agitur de vehementi feruore qui ventos in corpore eleuare potis sit, non discutere; ventos non quales medius calor, sed feruiuiores multo, vagabūdos & impetum facientes. Quod Galenica docebat curandi methodus, solita solertia, aiebat enim 12. method. Si ex accidenti aliquo coniunctus his humoribus crassis & glutinosis, spiritus est, qui ex ijs quibus continetur corporibus erumpere prorsus non potest, grauissimis omnino doloribus qui ita se habent cruciantur: quippe accidit illis duplici de causa vel obstructione vel calore, nā & obstructio spiritū cohibet nec Gal. 12. meth. in.

exire

exire permittit, & crassa glutinosaque *cum calefiunt flatuosum spiritum gignere solent*: & paulo post: quo pacto igitur dolores eos quos frigidus humor in medio intestinorum interclusus excitauit sanare conuenit sane non profusionibus & cataplasmatis *quæ violenter ex calefaciant*, lenti enim omnes crassique & frigidi humores ab *ijs quæ calefaciunt nisi etiam valenter digerant liquantur & in flatum mutantur &c.* Ex his Galeni verbis facile videre est vehementem calorem non impedire quo minus flatus fiant aut siquidem facti sint non eos discutere, verum cum nulli sint ex materia de integro excitare, adeo vt idem Galenus crebro admonet à nullo tantopere in eiusmodi humorum abundantia metuendum esse quam ab immoderato calore qui eos liquet atque in flatum vertat, digerere autem non valeat, optime animaduertit medicus ille italus vt est apud Paulum æginetam qui omnes fere colicas affectiones frigidis remedijs, præter omnium opinionem persanauit: nec ipsummet Paulum hæc res latuit, medendũ inquiens doloribus qui ad gelidos, tenaces & spissos humores referuntur, prouidendo ne vehementer calida adhibeantur remedia: nam ab admodum calorificis præsidiorum materijs liquefacti funduntur magisque in flatulentum spiritum rediguntur humores eiusmodi. Quod noster Lusitanus Amatus, vt non periculosum, rarum tamen & solertia plenum auxilium memoriæ reliquit suis centurijs non esse, dicens,

A valde calidis excitari flatus.

Lib. 3. c. 43.

dicens, cuiusuis triuialis medici frigidam copiose dare coli dolorem patientibus, qui iamdiu multis & calidis remedijs sed frustra fuerint vsi; præsertim valde sitientibus: & nos sæpe apud Cantabros medicinam exercentes sumus experti, per quos endemius debacchatur immanis colicus dolor (quem à cruciatu rabiẽ vulgus appellat) qui in artuum pertinaces syderationes terminatur: obserbaui non semel, aphonas factos quamplures; viddi gibbosos (vt à phrenitide nouerat quondam Hippocrates) curaui non paucos quibus carporum (& hoc frequentius) soluebatur compago & robur: Paralyseos denique omne genus ab ista rara metaptosi nihilosecius quam descripserunt, Erastus, Andrenacus; Coyter: quam etiã obseruauere Trincabella & Hollerij Scholiographus, quorum historias nõ referã ne inculcare videar iam dicta, hoc vnum aduertam, non solum à copia pituitosi succi ac vehementi flatuum agitatione hoc malum nasci, sed pariter à calidorum ac biliosorum admistione; equidem in infinitis prope nullum vidi hoc malo affectum qui non esset natura calidiore & ficciore, & in quo non multa simul bilis generaretur cuius calor non mediocris à materia tenaci flatus produceret, nõ quiescentes nebulosos, aut tardi motus, *emphysimata* constituẽtes, tympanitides, pneumaomphalos & mille; sed furiosos ambulones, tenues, & cum intolerabili dolore vagabundos, quorum soboles, me hercle & affectus ille erit, non vulgaris quem

Colicus dolor frigida curatus.

Colic. dolor in Paralysim desinẽt

Hip. li. 5. epid. tex. 51.

Tho. Erast. par. 4. disp. c. parac. Andern. in cõ. ad li. 3. c. 18 Pauli ęgin. Coyt. li. obser. anath. et hyr. trinc. li. 3. c. 1. de ra. victus. Scholiogr. ad cap. 41. dem. internis.

Morbus Nachir.

quem Arabes Nachir vocauere, melancholicis valde familiaris & aduſtis naturis ac climatibus; cuius iconem hic accipe, pictore Albucaci, dicente, *accidit ſæpe dolor in quibuſdam membris à flatu tenui & furioſo qui ſumma velocitate permutatur de membro ad membrũ in naturis præcipue calidis & ſiccis atque aduſtis ſole & laboribus:* poſt definitum morbum, deſcripſit adhuc, & curauit Arabs in pagana muliere: Cauliacus, vt virulentum timuit & tanquam à venenata materia eleuatum, theriaca & alexipharmacis non dubitauit reprimere: non ſecus ac nos ſumus experti in luſitano qui habitabat ad litus oceani cantabrici viro habitus corporis gracilis aduſtique ætatis conſiſtentis, ac temperamenti calidi & ſicci, quæ illum in melancholicum & hypocondriacum affectum deduxerunt, à quo fonte ſurgebat ambulo ille flatus qui modo caput, modo pedes, dorſum, genas, gulam, ſuras & reliqnos artus ſumma pernicitate decurrens acuto dolore cruciabat, pſeudo turgentiam in ſanguine & humoribus excitabat & denique frigido ſudore inferiorum partium ſtata periodo quotidie ſoluebatur. Turgentiam iſtam ſine dubio *anemiam* vocauit Hippocrates lib.2. epid.ſect. 5.tex.11.& lib.de flatibus, pro cuius curatione tam abſolute imperabat veneſectionem, inſinuans febrium & morborum apoplecticorum & omnis feruoris ſanguinis cauſam eſſe flatus ſanguinem perturbantes, ea lege qua in ampliori orbe flumina & mare vento agitantur

Lib.2.c.93.

Giudo Cauliacus tract. 2. de apoſt. ventoſo.

Obſeru. flatus ambulatiui.

& turgent: o quam pulchre ad rem Seneca huic flatui ventum comparauit; *nempe quod eius vis*(dicens) *non possit cohiberi; quod nulla eum teneat compages, soluatque indomita naturæ potentia quodcunque vinculum; spiritus namque inuicta res sit:* sed quemadmodum aliú suæ generationis locum ventus non agnoscit præter terram sic, etiam flatus alijs in locis raro quam in ventriculo & Hipocondrijs veluti terræ cauernis gignitur. Inde ab immodico calore eleuatus, ventorum instar ab igne subterraneo generatorũ (vt vere & eleganter probauit nouissime Nardius Doctiss.) in viscera quæcũque dilabitur, & in reliquũ corpus permeat, qui vbi maior influxerit nec emittitur; exitum quærens corpus concutit, rigorem inducit, & grauissima infert symptomata; quæ omnia sub *anemin* nomine intellexit Hippocrates & nos cum Doctissimis Vallesio, Mercuriali, & Cornario, *ventum aut flatuosam ventositatem* (vt eorum verbo vtar) interpretamur, non vt Ioãnes Stebe, subuentaneo sensu *subuentaneam* commentus est *gonorrheam*: sed flatulẽta potius tela, non permanentes priapismos; mentita aneurismata, pseudo synãches, subsultus aut iectigationes vniuersales (ad quas obstupuerat solertissimus Hippocrates) fugaces illas musculorum suræ aut pedũ conuulsiones, nantiũ funesti cõpedes quę apud vulgus *Guttegrampæ* nomen sibi adepti sunt; malũ quod Orientales Indi vt sunt (etiã nobiliores) piscationi deditissimi & insignes vrinatores, *tambacis*

Libr. 6 nat. quæst. c. 18.

H. l. 1. epid. sect. 3. eg. 4.

(sic nominant) ex eletro superstitiosis, aut talesmanicis annulis, nouerunt auerruncare; sacrum metuentes affectum, quod male viderint mergi fortiores, & gurgitibus glomerati natandi peritiores; præpeditos retractione illa truci & infausta: sed læuia sunt hæc, transeamus iam ad alia quę ab interna humorum corruptione prorumpunt ad cutem; dictis non minus rara, ignibus tamen nostris valde analoga, & ad eorum causam explorandam conferentia valde.

De Rhopalosi, Plica, & cæteris morbis Pilaribus: de Dracunculis: de Gemursa Plinij an sit Ton & Niguæ Brasilianorum: de Crinonibus, & Pthiriasi.

Cap. VI.

CApillatam adhuc arripio occasionem agendi de capillatis affectibus: est Pilus excrementosa tertiæ coctionis exhalatio, à calore moderato in cutis rariora spiracula pulsa: est Ignis Lambentis materia eadem aut parũ diuersa; Pilescit ille fumus: hic ignescit; pelluntur ambo à calore, excernuntur ambo à coctione tertia; truduntur ambo per angusta pororum oscula: non ne igitur ista capil-

lata

lata agendi occasio? ita sane; immo hirsutissimus cerus, si inter reliquas pilares affectiones, vnam principem numerabero *Rhopalosim*, de singulis postmodum dicturus tanquam valde analogis nostris ignibus. Est hic affectus quem sic vocauit auctor libri diff. medic. à voce *rhopou*, quę dictio græca fasciculum, sarcinam ve e diuersis colligatam sibi vult; descripsitq; per *concretionem & velut in baculos coagmentationem summorum pilorum inextricabilem*, præuiderat forsan vetus auctor nouam Poloniæ Gorgonem Plicam, simili mallonum intricatione, quasi anguibus erumpētem; rara symptomatum syndrome ac pluriformitate Protheum: aut forsan illo seculo grassantem nouerat extinctam paulopost luem, iterum anno 1564. Polonorum malo pullulaturā atrocius; sed demus plicæ nouitatem, (sic volunt doctores non pauci sic indicant inaudita symptomata) vetustatem Rhopalosi; sit antiquior Rhopalosis; sit mitior, & prorsus ignara lædendi: crediderim per illam capillorum infiltratam molem emungi & depurari sanguinem vliginoso tetroque halitu, humoreque putido, sicque remanere puriora interna viscera: in plica non fieri eo pacto; non viribus se exonerantis naturæ, sed irritantis morbi malignitate, ac morsu: sed dum Saxonius Hercules ille putauimus, herculea solertia implicatum explicat morbum; audi tu interim Rhopalosis descriptionem exactam à nobis, dum Pisis ageremus obseruatæ in Sicula muliere, anno 1639. quæ

propter inusitatam & monstruosam capillitij inuiscationem, per Europā quæstus gratia circumferebatur: habebat duas capillorum prælongas cæsaries, vltra nouem palmorum longitudinem productas, quæ ab occipitio emergentes corporis staturam longe superarent, & inexplicabili nexu intertextæ omnem prorsus vincerent artem; partim continua concretione, partim ad instar fundæ tarsica diuaricatione quincuplici radio diuisæ: rursus in vnum continuum funem conglutinabantur, donec in copiosas fimbrias terminatæ, leonum caudas apprime æmularentur, quo titulo atque Icone omne genus hominum ad monstri nouitatem accersebat: non dolebat illa pilorum conglomeratio, nec scisa fundebat cruorem vt in plica pathognomonice obseruatum est, nec aliud incommodum afferebat, nisi quod ab eo tempore quo crescere cęperant cincinorum illi funes, non fluxerint amplius menstrua; sed neque ab illa retentione, sensibilis vlla noxa; non tamen impune aliquando per incuriam partem cincinni abscinderit; solent grauius lædi qui amputant, aut capi oculis aut mente: frequentius videri hoc malum in *Scicilia* prædicabat, esseque alta vulgi mente repostum, natos sub leonis sydere, eo solitos infestari quasi Horoscopi signaturam, aut Herculis Clathryforme Rhopalum caudatis mallonibus referentes, & ideo vocari syderatos aut fanaticos: confugit sæpe vulgaris ineruditio ad numina; toties Herculem de morbis accusat, quoties

ad

,ad inusitata accidentia cogitur obstupescere; sic non abludunt Germani (quorum idioma *morleg* aut *vvolchestres* appellat affectũ) dicentes à quodam ludēte spiritu, de repente immitti hoc malum; non hominibus solum, sed & brutis, cum sæpe equorum iubæ hoc viru irretitæ videantur, Seyanico omine: subitam eruptionem (vt interim taceam frequentissimum germanorum experimētum) sensit perillustris Veronensis Christophorus Radetus qui horæ spatio à breui somno meridiano experrectus inuenit sibi subito concretam capillorum promissam cesariem, quã adhuc hodie inexplicabili inuiscatione fæde impexam gerit, nullo prorsus sanitatis dispendio. Dęmonum esse ludibriũ aniliter opinantur indocti; & si qui Primores viri illud scripserũt, negotium penitius enodare non curauerunt; loquuti sunt ad mentē vulgi; sic apud Raabiam Hæbreum medij temporis doctissimum, & alios probatę fidei viros fit mētio de Rhopalosis lymphatica illa causa: quo pariter fundamento religiosius intactã seruant, sibi timentes grauiter qui amputauerint: quare matronis suis sic affectis, illud hodie cōcedunt hębrei vt impexa coma possint immergi legalibus vndis, quibus alioquin nō licet perfundi per mēstruas pollutiones, nisi minutissime abstergantur omni labe; tantus timor à derasa incaute Rhopalosi, vt etiam leges transgredi non vereatur; tanta fides ab intacta vt faustos auguretur euentus. Sed plicam iam explicemus à Rhopalosi sola malignitate,

diuersam:quid dicam pumilio post Patauinum Herculem? illud vnum in affectu isto truci vniuersum sanguinem vndequaque pilis reperiri refertum,(doctissimus obseruauit Cracouiensis Slouacius) & vice versa capillum omnem tubulatim sanguine imbibitum; accusabo ne pro illo portento vehementem imaginationē? ad instar rabiosorum quorum in sanguine, intenta nimis mens canum reales figuras sæpe valuit imprimere? an potius copiam fuliginis quam nimia adustio vetauit extra prorumpere? excellentiori sui siccitate valentem internarum partium humectam naturam vincere, & vbicunque pilescere? quid mirum: non ne Sabirorum Hirsuta corda (vt interim singulares de Aristomeno, & Lysandro taceam Historias) canebat grandiloquus Poeta Nonnus lib.26. dyonisiacon. Sic

Pone sequebatur rabidorum turba Sabirũ
Quis hirsuta rigent condensis pectora setis:
hispida pectoribus corda. hinc interrita mens est:
Nec fera magnanimi Bellonæ signa pauescunt.

Non ne menstruorum vice expulsam pilorum glomeratam congeriem, vidit apud Hebreos doctissimus Sadochi Filius Eleazarus? vt scribitur in Talmud. tract. de nida. cap.3. Non ne in vlceribus genitos quotidie tergit chyrurgia? & in lacte vrinis & stomacho, medicorum pro-

probat plurima obſeruatio? cur non item per malignas conſtitutiones in ſanguine dabitur erumpere? vt ſine plica adhuc notauit Cardanus in Hiſpano quodam qui & in ſanguine & in excrementis omnibus pilos emittebat, & nos in nauta cantabro qui de ſtomacho ingentem pilorum, carbonum, & lapillorum copiam ſæpe euomebat: Tritius eſt quod de mammarum pilis tene it neoterici, aduerſus Philoſophi opinionem (vt interim hunc tundamus pilarem morbum) generari ſcilicet in mammis pilos quos ſæpe cum forti dolore, febri, & alijs ſymptomatibus erumpere ſentiũt lactantes; non autem cum Ariſtotele Plinio, & Arabibus hauſtum imprudenter cum potu vel cibis capillum ad mammas relegari, aut ab expellente natura, ſugenteque infantulo; aut fortiori attractrice illic tunc vigente fortius; ſic credidere etiam Cardanus & Manardus ex recentioribus, nec doctiſſimus Thomas à Veiga omnino commentitium & abſurdum arbitratus eſt, ob ſanguinis ad vbera confluxum & partis laxitatem inſignem. Sed Rondeletius malum hoc ex pilo hauſto nulla ratione fieri poſſe contendit, ac per meſeraicas, hæpatis exiguos ductus, venam cauam & axillares ac denique per tot angiportus, tenueſque amfractus, ab ore ad mammillas pilum nequaquam duci; quin potius ſi deuoretur per inferiora cum fecibus alui facile delabi; ſed in mammis ipſis produci (quod expreſſe voluit Alexander Benedictus) non ſecus ac in abſceſſibus inueteratis ob varias

Cardan. in com. aphor. ſect. 4. 67.

Ariſt. li. 7. de Hiſ. ani. cap. 11. Pliu. lib. 3. cap. 10. Alzarab. tractat. 14. pract. ca. 2. Card. lib. 8. de var. rer. cap. 44. Manard. 7. epiſt. 2. Veiga com. ad li. 6. c. 3. de locis aff. gal. Rondel. de hiſt. aquat. c. de cancro.

rias humorum qualitates, materiam in calculos, arenam, ligna, carbones, amurcam, & setas porcinis similes conuerti constat; vnde Vesalius non verum pilum in mammis gigni, sed quippiam pilo persimile, sicuti in renibus, vrinarijsque meatibus filamenta gignuntur quæ palmo longiora sæpe se obseruasse scribit magnus ille Aegyptius Moyses. Mercurialis fibras sanguinis esse iudicat; Castrus Hamburgensis lactis cōcreti filiformem portiunculam; Senertus nouissimus vermiculos pilos referentes, à sanguine illic putrescente; vt in poris dorsi sæpe obseruatum est, & quamuis rarius etiam in vmbilico: ecce nobis hinc surgit præ manibus alia pilaris morbi species, quæ indicabit quam facile sit ob insignem pilorum cum vermibus connexionem & affinitatem, pilos vermiscere: viuunt facillime crines, sed fædius tamen: capilli mulieris pollutæ menstruis, sub fimo sepulti fiunt serpentes: & pilus e cauda equi in aquam proiectus vitam concipit, & transit in vermem perniciosum: vnde non prorsus explodenda Medusæ fabula, fortassis super veritatis fundamentum istud fuit extructa, vt reliquæ omnes: cæterum plicæ sanguinei intus capilli quid nisi viuentium rudimenta sunt? quid nisi serpentum sub oscuræ imagines? aut quis non hæsitabit ad cruorem efusum & intensum dolorem amputatorum? hinc quidam vitam sensitiuam & vegetatiuam per intus succionem capillis tribuere non sunt veriti: sed absit

Vesal. li. 5. de corp. hu. fabr. ca. 18.

R. mosch. ægyp. tra. 24. breuiarij.

Mercur. 5 var. lect. c. 4

Cast. Hāb.

Sener. med. pract. lib. 2. p. 2. cap. 24.

sit

sit à philosopho talis error: plicæ capillitium non secus ab ordine naturali recedit, ac cætera corporis excrementa in vermes, lendes, & pediculos quotidie transire experimur; in hoc solum diferunt quod in plica, crinonibus, dracunculis, pthiriasi, & reliquis raris huiusmodi affectibus, fiat per insolitas & ingentes corruptiones; in lumbricis comunibus per simplicem excrementi, humorem exuberantem; & certa quadam coctione vt doctissimus Vallesius existimauit. Crinones igitur nunc examinemus; est infantilis morbus qui pilaris dicitur, eo quod capilli quidam cineritij aut nigricantes e dorso prorumpunt quos Senertus vult esse vermes, non pilos, qui in dorsi porulis gignantur ex materia viscosa & ob cohibitam transpirationem in hoc vermium genus transmutata, quapropter à quibusdam dicuntur Dracunculi ob similitudinem cum dracunculis, qui Aegyptijs & Indis sunt familiares: Georgius Kufnerus cum hisce confundit, sed male, etenim valde diuersus morbus est dracunculus quem Arabes *Vena Medeni*, & *Ciuili* nominarunt & hodie Hispani Indiam Occidentalem nauigantes, *Culebrillam*, dicunt, regionibus, temperaturis, & ætatibus calidis & siccis valde proprius & congener; secus ac Crinones qui infantulos potius infestant, eorumque alimentum depopulantur, vnde à Germanis *Mitesser* appellantur quod alimentum infantium absu-

Geor. Kuf. de morb. puerorũ ca. 10.

Absumant, qui enim hoc morbo laborant contabescunt fere, & licet satis comedant & alias bene valeant non nutriuntur, & pruritum molestissimum in dorso percipiunt; continuo eiulant, citra causam euidentem; & solum per euulsionem pilorum eiusmodi sanantur: Montuus argutissime iudicat affectum præambulonem epilepsiæ quæ neque prothopathia cerebri, neque sympatia ventriculi; sed posterioris alicuius secundum dorsum partis, à qua excrementum veluti fuliginosum quod pilorum materia existit, per neruosa corpora ad cerebrum vsque ascendit: nisi reuellatur frictionibus & per cutis poros iam a frictione sicca rarefactos exiens, in pilos vertatur vnde curationem omnes statuunt in euocatione huiuscemodi pilorum, aut vermium, quorum progressa capitula, nouacula præsecentur: Pareus excitat fomentis calidis, & melle mixta farina tritici; quo remedio pullulant pilorum ora; Montuus mulctra vtitur, mox barbescente dorso infricatur pilis corium laridi aut per volsellam pili omnes ad vnum euelluntur: Kufnerus radicem brioniæ eligit, coctam in lixiuio e cineribus quernis parato: tandem Lusitanæ mulieres quas huius morbi peritissimas medicatrices audio, oleo mixta fuligine curant: Sed Andreas Dubithius subtiliorem curandi rationem narrat Polonis vsitatam, *In labrum aquæ calidæ* (inquit) *pueros lauant; in illo iniiciunt panis in micas friati manipulum; cinerisque parum, quibus pueros fricant, mox* aquam

Montuus in anasceue morborum.

And. dubith. in epist. med. à sch. coll. epi. 27.

aquam percolant, & panem illum in maßam compingnnt, quæ vbi in diuersas partes manibus distrahitur, magnam subtilissimorum pilorum vim oculis offert primo die, posterioribus diebus pauciores; postquam conualescunt infantes, plane nullos hæc ille: quæ medicatio, si pariter certa dierum & horarum imperita obseruatione exequatur (vt refert Senertus) non prorsus à superstitionis omni labe erit me iudice vendicanda. Plures pilaris morbi differentias non referam, quia longe distant ab operis argumento; nihil enim Discophia, nihil trichosis cum ignibus nostris, aut cum naturali vel morbosa ad cutim expulsione; proprius erit pingere dracunculos, ne Kufneri confusio noceat inexpertis, non Pharaneos flammarum vomitu formidabiles, quos figuratum æs contra naturæ vim specificam frenare valuit, & extinguere: non item metheoricos volantes quos tepor, halitusque laxitas non semel in nubibus efinxere: sileant nunc isti; suo loco descēdent in arenam, quantumuis Fortunius Licetus cum morbo moliatur confundere, existimat enim re vera ex corporibus hæbreorum viuentium, exortos fuisse paruos serpentes, ac vermes vsque adeo malignos vt crudeliter eroderent eorundem membra; magnamque ijs ad ferrent inflammationem acerrimos ardentissimosque dolores incutientem, vnde ignei siue igniti serpentes denominati sint, verum ista opinio cum textu Biblico parū cōuenit: morbū nos describamus aut describentem audiamus

Sener. med. pract. lib. 2. par. 2. c. 24.

Disc. est fissura capill.

Tric. est inuersio pilorū palpeb.

kufner confundit crinones cū dracunculis.

Drac. deserti, palaran igniti figura ænea serpentis eleuatā, frenabantur.

Drac. volātes metheo. igneæ impressiones.

Plut. cheroneus li. 8. symposia. 9

Che-

Cheroneum ſic de Agatharchidis mente lo-
quentem: *maris rubri* (inquit) *incolæ affectio-
nibus nouis & nunquam auditis tentati ſunt,nã
dracunculi quidã parui crura & brachia eden-
tes eruperunt;qui ſi tangebãtur ſtatim emerge-
bant atque muſculis infixi , minime tolerabiles
inflãmationes pariebant;hoc morbi genus prius
nemo vidit vnquam,neq; poſterius alijs,niſi his
ſolis contigiſſe vt alia multa :* ſic relata retulit
Plutarcus:crediderim pariter ignotum morbũ
Aet. lib. 14. deſcripſiſſe Aetium, Aeginetam & Galenum:
ca. 86. hic ingenue fatetur à ſe nunquam viſum , ideo-
Paul. lib. 6. que non poſſe de illius ortu & eſſentia quicquã
ca. 83. & li. exacte conijcere; tanquam de affectu nõ Græ-
4. c. 59. ciæ: ſed certis quibuſdã Arabiæ locis endemio.
Gal. li. 6. de Arabes Hiſpani, Auicennam, Auerroem, Ra-
locis aff. c. 3 zium & reliquos huius claſsis authores intelli-
Lib. 4. f. 3. go,quantumuis extẽſius plura de illo prodide-
f. 3. c. 71. rint, iurarem tamen ab illis nunquam obſerua-
Lib. 7. c. 24. tum,non enim nouit Hiſpania iſtum vermem,
quem Zona torrida & Climata illa aduſta Dia
meroes & Diaſirenes & contraria, tãtum pro-
crearunt; hodie Luſitanis notiſsimum , dum
æquatorem peragrant; à Mozambique aut in-
ſula. D. Laurentij ad promontorium Guarda-
fu, aut inſulã Socotoram. Loca mediterranea
dedere nomenclaturam: apud Arabas Medina
Talnabi fædo cultu ciuitas inſignis, *venam me-
den*, appellauit: inſula Dracontios (quam Ptho-
lomeus Africæ adiacentem facit, aut alia eiuſ-
dem nominis Lybiæ proxima), *dracunculorum*
impreſsit appellationem ; aut forſan animalis
ſimi-

ſimilitudo, vt hodie Hiſpani à colubro, *Culebrillam* dicunt. Naſcitur ſub cute, (non quod Galenus coniectat intra venam) vermis ſatis longus ac ſubruber qui motu ſuo cutem erodés & inflammans dolorem excitat, neque ſanatur niſi eximatur integer, abruptus enim acerrimos dolores excitat (nonne iſto ſymptomate cum Rhopaloſi & Plica comparaſſes? non abſurde ſane: qui negant eſſe animatum, ſed humoris vi ſerpere, vt Ambroſius Pareus, negligentius rem expendere; eſt enim vermis non ſecus quam ſyrones, noſtri; non minus dracunculis ignoti antiquitati; tacebo igitur veterum curationes, vt Indo hiſpanorum medendi methodum referam à me non ſemel obſeruatam, ſunt iſti abſque dubio in hoc vno præcæteris peritiſsimi, magiſtros enim illos fecit periculum, pauci namque Peruana littora contingere valent malum inexperti, quod ſic curare didiſcit etiam ſeruus infimæ ſortis; dum caput dracunculi exertarit, bacillo deligatur & quotidie parum retorquetur, ad inſtar chordæ, quæ cytharæ clauulis torquendo tenditur; non ſecus eximitur neruoſus ille vermis; emollientibus prius delinitus; mox extracto lumbrico vlcus exſiccantibus curant, demum partem roborantibus ſtabiliunt, diu manſuram impotentem: hos & ſimiles vermes gignit America, luxuriantis ſoli, nidoroſe ſpirantis ſali, lubrice influentis cæli, vrentis denique acriter ſolis, peſ-

pessimæ pestes: sic *Guzano*, sic *Ton*, seu *Nigua* atrociter infestantur Indicolæ; atrocius noui colones qui negligentius sibi curant: ille rectum intestinum ac podicem, fætide inuadit, vrit, exædit, dissipat. Hic pedum digitos præcipue & extremam sub vnguibus sedem eligit vt extreme pruriat, pungat ac terebret: vermiculi ambo; ille quem descripsit Alexius Abreu longitudine digiti, crassitudine fili mediocris, corpore molli, capite duro, & nigro: hic (quem post Indiæ Historiographos, Cardanus & eius antagonista Cæsar Scaliger depinxere) e pulicum genere pestis quædam atrox, minor est multo pulice quæ hærens homini adeo lancinat dum nec videri potest nec pręhendi; quarta die crescere incipit in tumorem vt pisum superet qui fætus plenus est lendinibus candidis; hic sæpe neglectus pedes in gangrenam conuertit: ille magna accidentium caterua comitatus, ardores, exustiones, dolores, fissuras, & vlcuscula varia in ano & ipso intestino prodit, in reliquo corpore lassitudines, cephalalgias vertigines, intestinorum rugitus & borborismos, diarrheam, appetitus prostrationes, inexhaustam sitim cũ nidorosis & calidis ructibus à ventriculo, mox ingrauescente malo, a neglecto præcipue remedio proclamatum est; nec ab vlceribus malignis & corrosiuis in quibus sphincter iam depastum vlla speranda salus. Curatur victu tenui refrigerante, supposita ex limonis medulla glande, specifice vero galiopside quam Lusitani Indi *fedegosam* vocant,

cant, inspersa caphura: & reliqua quæ præfatus auctor longe describit.

Sortitur pariter & *nigua* suum Alexipharmacun, mirifice enim *Curoquus* fructus inuentus est, ex quo extractum oleum presentaneum est remedium edaci vermium scaturigini; quam sæpe, apud me, mente volutaui vt cũ illo morbo deperdito & nomine etiam oblitcrato *Gemursa* Plinij confunderem: nascitur enim sub digitos pedum tuberculum Gemursa, quod gemere faciat sic dictum Festo Pompeio: ego aptius deducerem à verbo græco *gemo, plenus sum et gemos plenitudo*; tuberculũ enim plenum lendinibus candidis est nigua; *orseo* etiam *surgere* significat, quasi in tuberculum & tumorem plenum & refertum surgat iste morbus; sic consentanee placuit adaptare locum Plinij & affectum priscis cognitũ, Tiberij præsertim principatu; posteris restinctum hactenus, per Niguas & Ton Brasiliensium repullulare.

Restabat adhuc niguarum indicare precautionem; (Guzanus etenim sola munditię præcauetur) parit niguã soli insolens halitus ideoque difficilius effugitur; necessitas docta pensiles excogitauit lectos, adhuc in rudi & incauta illa gẽte, ad quos Asclepiadis inuentum peruenisse, aut quod Oribasius de gestatione prodidit, non est credendum. Ad Orientis Indos constat illorum vsum deuectum ab Alexandri militibus, qui vt nocumenta serpentũ euitarẽt (quorum in illo tractu magna vis erat) suspendebant

Asclep. 1. lectos ægrotis pensiles excogitauit.
Pet. crinitus li. 14. c. 4. de honest. disc.
Oribas. li. 9. coll. ca. 14.

Lib. 17. biblioth. ann. Reg. Ale. 9.

debant (ait Diodorus Siculus) ex arboribus lectos: non aliter retiformes suas *amacas* suspēdunt Brasilienses (sic lectos pensiles vocant Americani) quibus se à terræ nocumentis tuentur, sic niguam effugiunt, sic præcauent: hodie Hispani, Hispalenses præcipue, magnopere *amacis* delectantur, vt æstiuos feruores ventilatione refrigerent, & vt quiete meridiana mollius alliciant somnos: sic hominum indefessa luxuries in proprios vsus cuncta trahit, sic in mollitiem vertit omnia; ars medica illo inuento sapienter vsa est omni tempore, testis loquatur Aetius vt olim, dicāt Mercurialis & Sāctorius vt nunc prodesse posset; sed desino medica præsidia; me conuerto ad non contemnēda harum retium officia, sunt amacæ mollia pilenta, sunt rhedæ, sunt cursores equi, sunt lecticæ, sunt lecti: quid plura? eo vectationis modo confeceris quamlibet accelerata itinera; serui enim æthyopes duodeni aut seni, succollantur, quibus longo in itinere vicarium in laborem alij succedunt; insedit hærus supposita culcitra, & puluinis; dum sistere imperat, fulcra iubet defigi terræ, quibus extensa remanet rete: quam conficiunt ex filo aloes americæ (*Pitam* dicunt) vel ex gosipio molliores: sed ne admodum his irretiar, me iterum ad vermes conuerto, pruriunt adhuc & vellicant, scalpenda igitur prolixiori imbrice ægra cutis, radendus tegula scatens vermibus homo: ecce hinc informes *Scirones*, chirones dixerim potius, eo quod præcipue manus pruritu molestent

ſtent & arent cuniculis,(hinc non male Hiſpani *aradores* vocãt) animalculum vt ſcribit Scaliger qui nulla forma expreſſa præterquam globi vix oculis capi poteſt, tamque puſillum vt non atomis conſtare ſed ipſum vna ex Epicuri atomis videatur. Ecce illinc fædam pthitiaſim non caput tantum pueriliter inuadentem, ſed hæroice etiam ad necem dilacerantem totum corpus: morbum illuſtrarunt morientes olim Scylla dictator & elapſo ſeculo Philippus Hiſpanornm monarcha: alios quos tam tędioſa mors ſuſtulit referũt hiſtoriographi, & Sereni verſus iſti cauſam videntur indicare.

Noxia corporibus quædam de corpore noſtro
Progenuit natura, volens obrumpere ſomnos
Senſibus, & mentis vigiles intendere curas;
Sed quis non paueat Pherecidis fata tragedi
Qui nimio ſudore fluens, animalia tetra
Eduxit, turpi miſerum quæ morte tulerunt.
Sylla quoque infælix tali langore pereſus
Corruit, & fœdo ſe vidit ab agmine vinci.

Nimiũ ſudorẽ accuſat, a nimio humore, extreme putrido emanantẽ, quem natura ſæpe critice, ſæpius vero ſymptomatice nõ integre, ideoque infauſte, trudit ad cutẽ; casũ elapſis nuper diebus obſerbauimus in famulo pharmacopolę Veronẽſis ad D. Zenonẽ, qui febre correptus

F mali-

maligna, per multum ſudorem pediculoſum, non integre decernente natura aut, palindromia infelici breui ſublatus eſt. Sed ò miſeram humanæ naturæ ſortem! quis hæc intelliget? melius eſſe gigni animalia, quam materiam putrem intra permanere, cenſere viri doctiſſimi; & probat ratio medica: inde tamen ruina, deſperatio, mors, vnde erat ſperanda ſalus; & qui videbatur debuiſſe iuuare admirandus naturæ conatus, ipſe iugulat ac interimit, paucos enim ſuperſtites reliquit infamis phtiriaſis: pauciores crudelis vermis Sabaudicus; maligno & carnifici aſtrorum influxu anno 1545. exortus; declarauit vulgare nomen trucem morbi naturam; *trouſſegalant*, dicebant Galli quaſi qui fortiores & elegãtiores iuuenes glomeraret & tolleret de medio: Pauciſſimos horrẽda *Hungarica lues* in qua natas paſſim in humanis corporibus viperas ac lacertas narrant, quibus mille hominum in dies poſt cruciatus acerbiſſimos interirent, nulla medicorum arte vel induſtria ſuccurrente, ſed altera ſimul peſtilẽti vexante febre quam *theoridem* medici, vulgus *vermem* appellabat, à vermibus in cerebro ipſo redundantibus: credamne cum Auicenna, malignam materiam terminari in viuentia ne intra noceat? quod Scaliger elegantiori ac ſublimiori calamo ſcripſit diuinum nempe opificem vt ſuam infinitam ſapientiam proderet, maluiſſe viuentia quam putrem vitaque carentem materiam in natura multiplicari, & viuẽtium perfectorum corpora

Leuin. Sãderius gandauenſis de hoc morbo.
Pet. foreſtus obſe. de feb. peſtilenti.
Iord. de peſte tract. 1. cap. 19.
Balth. Coradin. de luce pannonica.
Exerc. 260. ſect. 5.

pora

pora dum corrumpũtur non ſimpliciter in putredinem abire, ſed in animalia ignobiliora: niſi credidero; videbor aduerſari ijs, quæ ſupra retulimus de termino corruptionis leproſorum; ſed in his vbi nam termini perfectio? vbi excellentia? eſt bonum in ſe dices; cum ſit & viuat, eſt finis à natura intentus, ergo bonum: eſto: ſed cum extreme infeſtum ſit & malignum, non videtur opus ſapientis & prouidæ naturæ eduxiſſe parentum deſtructricem prolem; fuiſſet ſatius Bezoardicum generaſſe præſidium in corporibus, aduerſus putreſcẽtis humoris impetum, aut ex perfecto illo curruptionis termino, aut coctione illa quam Valleſius doctiſſimus agnoſcit in vermium generatione ex materia nondum corruptelæ contagio inquinata: fuiſſet vtique: aut ſi non alexipharmaca præſidia, qualia in hiſtrice, ceruo, ceruicapra, bufone, & mille; quæ annotarunt hiſtoriæ naturalis ſcriptores; innoxias ſaltem eruptiones, aut ſaltem non lætaliter infeſtantes; ſed ratio eſt in promptu; non quæuis materia apta eſt ad quoſuis effectus; certa certis competit, vt philoſophatur Galenus (quamuis impie non admittat Dei omnipotentiam, aduerſus Moſem & Platonem) dum Deo tribuit tum eius quod eſt melius in ipſis opificijs electionẽ, tum etiam materiæ delectum: ſcimus enim apes iuuenco perempto generari, vt e Democrito, Mago & Virgilio, refert Columella: ex aſini cadauere fucos: ex muli crabrones: ex equi veſpas óriri paſſim ab authoribus doce-

Lib. 1. prog. com. ad tex. 18.

Lib. 11. de vſu part.

De re ruſt. li. 9. ca. 14.

F 2 tur;

tur: Bombyces ex iuuenco, folijs mori nutrito
Bomb. lib. 2. nasci docet Hyeronimus Vida his versibus.

Quod si spes generis defecerit omnis vbique,
Semina quæ aruerint, Iouis implacabilis ira
Sicut apes teneri reparantur cæde iuuenci:
Hic super accidit tantum labor. ante iuuencus
Bis denosque dies: bis denasque ordine noctes
Graminis arcendus pastu, prohibendus ab vndis,
Interea in stabulis, tantum illi pinguia mori
Sufficiunt folia, & lactenti cortice ramus,
Viscera vbi cæsi fuerint liquefacta, videbis
Bombicem fractis condensam erũpere costis
Atque globos toto tinearum efferuere tergo
Et veluti putres passim concrescere fungos.

Eleganter sane. alia multa circumferuntur quæ an omnia vera sint experientia cõsulenda: Bufonem è cadauere anatis elixæ, nasci; e tosto ranas scribit Cornelius Agrippa: e medulla humana in sepulchris, serpentes educi tradidit
Li. 10. c. 56. Plinius: & Poeta sic, cecinit.

Sunt qui cum clauso putrefacta est spina sepulchro
Mutari credunt humanas angue medullas.

Et de scorpionibus, e cancris, Ouidius.

Concaua littoreo si demas brachia cancro
Cætera supponas terræ, de parte sepulta
Scorpius exibit, caudaque minabitur vnca.

Non

Non aliter ex ſuccis varie in corpore humano diſpoſitis, varias vermium & rerum præternaturam genera produci ſtatuendum eſt; ex certis tamē certa: ſed prę cæteris rebus aptior notatur diſpoſitio in humoribus ad vermes quam ad alias res inanimatas: argumeato ſunt ipſa animalcula in ſingulis humani corporis partibus genita, in prora cerebri & e naribus eiectos vermes vidit Beniuēnius; ex angulo oculi amatus Luſitanus; & nos ſemel in puella Bearnenſi; in auribus inuenit Oribaſius: in dentibus Auicenna; ſub lingua & vlceribus Cauliacus; in hæpate Albinus; in pulmone & thorace Alſaharauius; in vtero, renibus & veſica Hippocrates; in inteſtinis omnes; in lotio Montuus; in ſanguine Plinius; in muſculis ægineta & Auerrous qui expreſſe ęgritudinem bouis deſcripſit per vermem ſub cute genitū, non ſecus ac bobus; quorum eſt familiare malū; in Pericardio denique & ipſo cordis ſiniſtro ventriculo, iam nouæ microcoſmi pirauſtæ, nouæ ſalamādræ innoxiæ flammis videntur erumpere cum admiratione, de quibus copioſe Schenchius in libris obſeruationum, & retulit Vidus Vidius.

Modū generationis horum in humano corpore inſectorum, triplicem ſtatuit Licetus. Primum qui fiat ab anima veteris animalis aliam generante in excremētis intra corpus ſibi ſubditū comprehenſis, non quidē ſibi ſimilē ſed ſe lōge imperfectiorē, impedita à materię imperfectione. Alterū cū ex excrementis ab alimento ſegregatis in quibus vt in vaſe, inſit portio

Vidus Vid. c. de morb. cordis.

Li. 3. de pōt. viu. ortu. cap. 52.

animę illius olim viuentis à quo prodit alimentum; talia enim excrementa in corpore animalis, ab ambientium viſcerum calore coctionem paſſa & coctione diſpoſitiones ad vitam neceſſarias adepta, latentem intra ſe animam accipere in formam viuificam, & hoc modo vermes generari frequentiſſime in ventre humano, ex primæ coctionis excrementis ad inteſtina delatis: Tertium modum conſtituit ex excrementis, in quæ, coctione caloris conuerſa eſt ſubſtantia viuentis illius in quo huiuſmodi animalia ſponte gignuntur, in quibus excrementis ſuperſtes ſit prioris animæ aliqua portio veluti in vaſe, quæ vbi calore ambientis digerente, iterum ad vitam diſpoſitiones neceſſarias acquiſiuerit, ſemetipſam ſubditęq́ſibi materiæ impertiatur in formam viuificam diuerſorum animalium diuerſi generis conſtitutricem; priorem enim adeo eſſe labefactatam vt degenerarit in eſſentiam priſtina longe imperfectiorem, atque hoc modo ſponte oriri poſſe in vtero humano ſerpentem, in cute pulicem; intra cutis meatus pediculum: hæc Licetus.

Primum modum nos plane reijcimus; non enim conſtat animam vnam, aliam diuerſæ ſpeciei generare poſſe, nec ad noſtrum inſtitutum facit talis generationis modus.

Tertius adhuc parum eſt conſentaneus, in humana præſertim anima, quam nullo modo diuiſibilem admittimus; quis enim credat animam humanam ita degenerare vt in vermis animam abeat; ſed mittamus iſtam: impium

eſt

eſt hoc fari; equinam quis in vermibus, in vlceroſo equo genitis credat? qui pariter vermẽ vere & formaliter eſſe equm non ſtabiliat? à forma enim eſſe & denominatio rei pendere certum eſt.

Secundum modum potius admitterem (ſi illam olim viuentis animæ portionem, ſeminale principium intelligat) cum Cornelio Gẽma qui ex alimentis tali infectis principio, demum in excrementis remanente, generari vult in corpore humano varia vermium genera; ſunt namque ſponte naſcentium occultiſſima ſemina; nos exempla quædam ad hoc tetigimus in noſtra theumenia ex Gafarellio, de ranarum pluuia, videlicet quod ranæ in nubibus generentur ex ſeminali ranarum portione cum lutoſo vapore ſurſum eleuata; itemque ex Quercetano de plantarum forma in cineribus aſſeruata;& aptius adhuc ex GuidoneBroſenſe de planta ſuſcitata ex eiuſdem ſale, ſpiritu, & oleo, ſimul terræ mandatis;quod experientia ſæpe comprobauit; vides quam occulta ſint ſeminalia principia? quis dixerit vnquam in aqua deſtillata plantæ, iacere ſopitam formam? quis in ſale, aut oleo? facile foret de inſectis facere idem periculum quod non dubitarem iri reſponſum: ſiquidem in piſcinis (refert oleus magnus lib.20.cap.24.) omni ingenio & induſtria piſcibus & aqua exhauſtis;ſi poſt tempus iterum aqua impleantur, adhuc repullulat piſcium ingens multitudo à relicto in limo aut parietibus ſemine; ſi autem in ter-

ræ gremio à calore Solis credis posse suscitari, quid ni in humanis visceribus? à calore naturali, ex materia intra corpus aliunde allata, tali infecta semine? hæc me mouent istum generationis modum concedere, quē Senertus morose reijcit; sed tamē comunem placet amplecti opinionem, non scilicet, semper esse necessum illa seminalia principia reperiri, aut illam viuentis olim animæ portiunculam; sed in humoribus putridis, corruptis, & supernatantibus, introduci dispositiones ad vitam, à calore præternaturam; quiquidem succi quantumuis maligni & incoctiles, coctionem tamen certam ad illud opus insecti animalis generandi admittunt: illam vero coctionē quæ facit cessare putredinem & reducit humores qui sunt in via putredinis ad suum naturale temperamentum, non amplius apti sunt recipere; aptitudinem enim vt in substantiam humanam mutentur, corruptione & malignitate iam amiserunt; nec amplius dari potest regressus à priuatione ad habitum; at in illo humoris cadauere quid vetat fieri coctionem quæ disponat materiam ad diuersam formam viuentis scilicet insecti animalculi: istam coctionem non vidit Vallesius afferens à succis malignis non posse vermes generari; quinimo ab illis interimi genitos e dulciori materia.

Nos ex ista fieri non negamus comuniores tamen lumbricos; rara autem, pernitiosa & deletheria animalcula, à succis supernatantibus, varie à calore putredinoso dispositis & sępe ab infau-

infauſto aſtrorum influxu epidemice & cõtagioſe pullulare arbitramur: huius ſuperioris cauſæ exemplum eſto; præter ea quæ de febre Hũgarica & Sabaudica ſupra retulimus, quod in galla obſeruauit Mathiolus, varia ſcilicet inſecta, per annorum varias tẽpeſtates produci; quandoque araneam: quãdoque vermiculum. Et non raro muſcam ſcaturire: vnde nã iſthæc varietas? cur non ſemper idem ex eodem producitur? non ſane à materiæ diuerſitate: non ſane à caloris putridæ cachryos vario gradu, hæc mutatio; neceſſum eſt à cœli poſitu hęc oriri, præcipue ſi cauſas ſiſcitemur quare muſca illic genita bellum portendat; aranea peſtem; vermiculus annonæ minetur caritatem: nõ ne influxus qui aerem & ſublunares reliquas cauſas ad bellum, ad peſtem, ad famem, fuit potis diſponere hæc ſymbolica efformauit animalia? ita ſane: nec incaſſum myſterioſo priſcorum characteriſmo muſca fuit pertinaciæ, pugnę & belli hieroglificum: & muſcarũ dominus Belzebub, inſidiator & rixarum author Diabolus. Corruptionis, tabeſcentiæ & peſtis aranea. Vermis denique tanquam ſegetũ conſumptrix tinea, ſterilitatis, penuriæ ac famis infame mortalibus omen creditus eſt.

Sed quid minetur e corpore humano viuus eiectus vermis, quid morttuus, audiamus à Valleſio; Reſpondet ſic vir Doctiſſimus quæſtioni in prognoſticis triuiali: morbos ſcil. per quos multi lũbrici viui apparent, non eſſe malignos ex materia, ſed ex accidentibus; viui

enim

enim licet grauiora inducant ſympthomata, anxietates, deliquia animi, morſus & conuulſiones: mortui tamen cum maligniori morbi cauſa vt plurimum coniunguntur, & ab ipſa malignitate necati & areſcentes foras expelluntur; attamen Raſius & Auicenna hanc partem ſequentes mortuos deijci malunt. Aetius & Aegineta e contra viuos expelli ſatius iudicant, facilius eſt enim (dicunt) vermium frenare libidinem & impetus extinguere medicamētis, quam humorum malo mori & orgaſmo reſiſtere: ſed parcant græci; parcat Valleſius, quo malignior ſe prodit materia peccans, eo magis expelli viuos opinamur, e maligniori enim & ſupernatanti cachochymia gignuntur, quæ vt illorum eſt principium & ſcaturigo potius viuos cōſeruabit quam occidet; nihil enim ab eis ex quibus fit deſtruitur; nec dubium eſt illud ſemper à natura intendi quod melius, ad microcoſmi tutelam, melius eſt viuentia produci animalcula quam ſuccos venenatos intro diuagari; qui vero mortui deijciuntur vermes, ab alia cauſa enecari crediderim quam à malignitate ſuccorum, vel ab alexipharmaco vel à cibo vermibus aduerſo aſſumptis: vel ſi à maligno humore, à diuerſo tamen ab eo ex quo fuerint geniti: cum enim in corpore male diſpoſito plures & varij humores maligne putreſcant, ex altero poſſunt generari vermes, ex altero vero qui diuerſa corruptionis & malignitatis ſorte corripitur, eoſdem occidi; quam ſæpe dum effugere conantur, non ſolum viui

exeunt

exeunt ſed quærentes exitum quaſi furentes in loca ſe trudunt nobiliora & terribili quatiunt languentem agitatu; vnde ſtatuo tum ex materia tum ex accidentibus maligniores eſſe morbos per quos hæc infecta viua expelluntur quam anecata.

An hoc pacto credendum eſt ignem lambentem à prouida natura ex corrupta materia accenſum? ita forſan: paucis enim diferunt vita & ignis, vt luculenter notauit Muretus, & ſi læthiferam materiam ſagax natura viuificat; cur eandem non inflammabit? ſi vita frænat corruptionem, ſi eſt anima viuens præſentaneum veneni alexiterium; an non ignis extremorum morborum eſt ſacra anchora? an non cuncta præter ignem putreſcunt? ſed non iſto calle pergitur, quantumuis vita & ignis mutuo ſe ſe amplexentur, quantumuis ex vtroque communes hauriantur methaphoræ non ſit ignis lambens intra corpus, ne quidem in ipſa cute; lambit cutem, lambit comas in ambiente genitus, non intime penetrat, vt vita quæ

—*Intus alit totaque infuſa per artus*
Agitat molem, & toto ſe corpore miſcet.

Sed quia ignea & vigoris ignei; ideo hæc in humano corpore ſponte viuentia ad ignium lambentium parallela placuit agitare. Reſtat vt

vt horum eſſentiam & cauſas expeditius agitemus, vt iſto igne vitam concipiat informis embrio, vt ſplendeat latens ignis ędito hoc fętu ſic viuet ignis, ſic igneſcet vita noſtrarum lucubrationum.

Finis Primi Libri.





LIBER II.

De Igne Lambente

Cap. I.

An ſit: quid ſit: à quo ſit: & propter quid ſit ignis Lambens.



IN hac abſtruſa naturæ mageſtatis abyſſu, in iſto ignium ſacro pelago, ſit mihi Polus purus ille ignis: ſit mihi lux actus ille purus ſupremæ lucis, qui per cũcta illuminãdo porrigitur: Cæleſti hac vrſa duce, terreſtrem imitabor vrſam, informem catulum ignem meum lambentem, lambendo efformabo; non externa tantum membra lingua comam; ſed adhuc intima viſcera ratione perſcrutabor.

Dari ignem iſtum adeo certum eſt, vt ſecus dicere, abſurdum ſit: non enim ex hypoteſi loquuti ſumus; veram tradidimus hiſtoriam; nec oculus nos fefellit, nec ad ſtridorem obſurduit

auris:

auris: non est præstigium, ò vulgus; non illusio; crede ignem: noli protinus confugere ad dæmonum ludibria, consule Doctos, sed quid aio? iam doctus esses.

Exempla postmodum allatura tibi fidem facient, non igitur plurimo scriptore veridico pertinaciter obsiste. Et tu sciole caue ne hallucineris ad Lucretij versus istos, quibus tecum sentire videtur ita canens libr. 2. de rerum natura.

Nec tamen omnimodis connecti posse putandum est
Omnia: nam vulgo fieri portenta videres
Semiferas hominũ species existere: & altos
Interdum ramos egigni corpore viuo:
Multaque connecti terrestria membra marinis
Tum flammam, tetro spirãtes ore chimeras
Pascere naturam per terras omniparenteis
Quorum nil fieri manifestum est.

Nil horum fieri in natura posse scribit poeta physicus, aut inexpertus, aut inter raro contingentia & monstrosos euentus volens recensere; quidquid id sit, non tantus est Lucretius vt prisca & nouissima experimenta subuertere possit authoritate, extant enim apud Aristotelem, Theophrastum, Plinium, Plutarchum, Atheneum, & ex Neotericis Iulium Scaligerum & Rubeaquensem Conrradum & alios, exempla mirandæ connexionis, rerum inter se

se distantissimæ naturæ, ita vt merito in Lucretium possint eadem carmina retorqueri.

——Namque vulgo fieri portẽta videmus
Semiferas hominum species existere: & altos
Inetrdum ramos egigni corpore viuo.

Hæderam natam e cornibus cerui viuẽtis; culmum hordeaceum geniculatum exortum in vesica hominis; spicam farris genitam e naso mulieris viuæ; in vtero canis orestei genitum truncum vitis, obseruarunt authores præfati & verissimis tradiderunt fundamentis: & quod magis est dentem aureum natum puero Silesio anno 1595. mordicus defendunt Martinus Rulandus, Andreas Libauius & Iacobus Horsticus: Cur igitur quod multo facilius est, denegabimus naturæ omniparenti? dari scilicet flammulas e corporibus hominum & brutorum viuentium scintillantes? Et si quod expiratur est fuliginosa & ignea exhalatio prodiens e corde animalium, in quo Aristoteles & Galenus igneum calorem vehementissimum agnouerunt; quid ni fieri poterit vt animal quodpiam temperamenti calidi aliquando ex ore & naribus flammeum efflet spiritum? quid ni à calore viscerum attenuata satis quæ expellitur per poros exhalatio, de facili ignescet & inflammabitur? nihil sane obstat, nec caloris natiui suauitas, mille causis in dies illum acuentibus & in naturam vertentibus

igneam,

igneam, poteſt reſiſtere. Sit igitur ratum, ignem lambentem, ſerpentem, aut ſcintillantem poſſe in animantium corporibus dari naturaliter. [illegible]ergamus nunc ad rei naturam expoſſandam: ex traditis libro ſuperiori, colligi facile poteſt quid ignis lambens; nos interim ex philoſophorum ſcriptis hanc conſtruximus definitionem.

Eſt flamma, genita ex rara ſubtilique exhalatione, eleuata ab humore viſcoſo, pingui, aut corrupto corporis præcalidi temperamenti, certo gradu ab aſtris inſiti; & diſperſa per vniuerſam cutem, quæ exiliens aut frigore ambiẽtis aeris per antipariſtaſim coacta, aut læuiter inter ſe colliſa accenditur.

Flammam eſſe ignem iſtum primo capite lib. I. ſtatutum reliquimus, quæ proſilientem exhalationem adurit, non ſecus ac quæuis alia flamma ſuum depaſcitut fumum, nec obſtat coruſcantis exhalationis celeritas, aut motus inſtantanei incendij, diſpergitur enim vt plurimum, in multas atomiformes particulas, ſubita comflagratione ſcintillaſcentes; quæ pinguiori glutine ſibi hæret exhalatio, lentius flagrat & diſtinctiori radio.

Hinc ſume differentias huiuſcemodi quorundam ignium quos philoſophi inter ignita metheora numerarunt, ignis ſcilicet fatui: adhæreſcentis: Caſtoris: Pollucis: aut hælenæ; ocyor eſt noſter ignis, quia materia ſiccior & rarior; ideo velociſſime coruſcat, nec corporibus quæ offendit ita facile glutinatur: porrho

ignis

ignis nofter e corpore viuo effluit, nõ e quauis vliginofa aut cadauerofa pinguedine, quātumuis affinitate maxima cum prædictis metheoris coniungi exiftimes: locis generationis & materiæ maiori aut minori lentore & portione differunt.

Nec profecto admirando huic affectui caufa deeft naturalis, eaque multiplex.

Prima eft eademque comunior, quod ex humanis ferinifque corporibus affidue per occultos cutis meatus halant exhalationes fumidæ igneæue genitæ vi caloris interni ex partiũ folidarum fubftantia, quarũ exhalationes craffiores ac terreftriores in pilos abeunt, tenuiores autem & magis igneæ in halitus infenfibiles, quos vbi frigidit s externa cogat, cur in flammam quandoque non appareant? ficin maximis æquoris tempeftatibus halitus multi ex nautarum maximopere laborantium corporibus furfum fubl ti, ad nauium antennas malofue, atque ibi ab a ris intenfiore frigore coacti corufcare folent in flammulas. Sic Ariftoteles in aeris media regione vndique à frigore circum obfiftente conclufam comprehēfamque exhalationem fumidam ignefcere fcribit in fulmen fulgurque corufcans.

Dixerim propterea ex nobilis Matronę corpore furgentes halitus à frigore aeris coactos micare in ignem, tenuitate innoxium vti e flamma in aqua vitæ eccenfa, quam impune contractamus.

Secunda caufa efto, fi huiufmodi exhalatio

G pro-

prodiens ex animalium corporibus fuerit ad igneam naturam valde propensa, & frictionibus attrita, vltimam ad ignem dispositionem acquirat, & statim ab igne in quouis mixto existente, atque adeo ab igne propriarum carnium & vestium inflammetur. Non alia sane ratione attritus aer intermedius affrictu chalybis cum silice nec non hædere aridæ cum lauro viridi, atque absolute duorum quorumcunque lignorum confricatione, quod vulgo faciunt occidentales Indi ad vsus domesticos ignem sibi comparaturi: aer inquam medius attritus disponitur maxime ad igneam naturam induendam, quam demum acquirit immediate ab igne delitescente in lignis, lapide chalibe ue: licet ignis ille in mixto mire labefactatas confractasque à contrarijs sibi permistis, atque adeo exilimas vires obtineat; nam vbique, patientis summa dispositio supplet imbecillitatem virium causæ efficientis. Quinimo si aer, multo magis a natura ignium distãs, quam exhalatio de viuente corpore prodiens, confricatione sola lignorum in quibus multo minus ignium inest quam in animalibus (vt docet Aristoteles animæ nobiliori plus caloris in corpore tribuens:) soloque confrictu lapidis & chalybis in quibus minimum insidet ignis; si aer inquam attritus in ardentis ignis scintillas facillime commutatur, cur non ignea exhalatio consimili affrictu ex animalium corporibus exiens inflammas emicare valebit?

Tertia causa si exhalatio a proprio sui met igne,

gne, caloreque viuidiori, aliorum elementorum partes sibi comitas consumente, inflammetur: ijs enim non amplius sibi repugnantibus exultat inflammam sursum ascendentem. Atque hac ratione fimeta sæpenumero sponte accenduntur & Galenico testimonio fimus columbaceus olim à semetipso ignem concepit: & præfata metheora falsa nauigantium numina, vt vult Doctissimus Nardius proprio igne accensa flagrant: quem secum à macrocosmi scaturigine subterranea deduxere.

Non secus nostræ exhalationes ab igne subterraneo Microcosmi ignitæ possunt inflammari, victis ab eo & consumptis quæ resistere possint partibus.

Has tres causas in metheoris agnouit argutissime Ficinus & in comentarijs Plotini his verbis expressit eleganter. Quod autem ignes accendantur in alto, non ab æstu cæli, sed forsan ex aeris illius angustia prouenit, in quo calor ex calore motuque cæli leuiter primum accensus, euadit paulo acrior angustia loci, cui cum se applicat subtilis vapor & siccus atque sulfureus fit feruor longe vehementior vapore, vbi etiam ex motu vaporum concutiente calor intenditur veruntamē plus adhuc est ibi luminis quam caloris, &c. *Lib. 8. ene. ad. 2. ca. 15.*

Tres adhuc aliæ perscrutando possunt detegi huius affectus causæ quas exarabo quātumuis ex accidenti contingentes, & ideo valde impropriæ quia tamen ab authoribus notę non mediocris circumferuntur, non silebo.

Poteſt (aiunt) aer ambiens, corpus affectionem patientis circundãs, forte fortuna tali exhalatione infici, quali ſæpe numero inficiũtur polyandria & patibula, viſcoſa & pingui putrilagine ſcatentia, de qua ſurgens pinguis halitus antiparistaſi in ignem fatuum aut lambẽtem accenditur, qui obuijs quibuſcũque corporibus flagrãdo adhæreſcit, comas lambit & artus diſcurrendo lumine perfundit. Sed poſtulat hec cauſa fortuitos euentus, nec ſingularis hominis tunc eſſet rara affectio, ſed cuiuſuis locũ pertingentis: non ſecus ac ſi quis ferreriæ riuulum in delphinatu iuxta Gratianopolim flagrante circũfuſo aere inſignem, trãſgrediatur.

Alia ex improprijs cauſis eſto, ſi coma fuerit vnguento aliquo delibuta quod ad ſe flammas arripiat, quale forſan fuerit quod in Lauinia ſacrificatura crinibus ignem concepit vt canit Vergilius 7. eneid. conſueuerant namque olim Reginæ capillos vnguentis odoratiſſimis perfundere, in quorum compoſitionem ſi aliquid naphtæ vel rei naphtæ ſimilis, cũ aqua vitæ ingrederetur quod eminus ab ardente cæreo lãpadeue flammam ad ſe trahere conciperequе valeret, non eſt dubium potuiſſe ſimilem lãbentem affectionẽ æmulari. Sed hæc cauſa præuiũ poſtulat fucum & aliunde mille in contrarium abundat impedimẽtis: hac igitur exploſa. Tertiam adhuc referamque huius igniti effectus veritatem plane deſtruere videtur eſt enim.

Poſſe ſæpenumero ex aliquo corpore ſpirãtem exhalationem eſſe tum craſſiuſculam quæ

viſu

visu concipiatur, tum etiam multi participem ignis quę flammam representet, quod in melācholicis facile est inuenire, e quorum corporibus ignearum exhalationū magna manus attolli solet, aiebat .n. Gal. atram bilem quatenus fulgido cōstat colore esse fulgurosam & fauillosam habereque splendentem nigrorem: sed quid est fulgidus color? nisi fulgoris quodammodo particeps? hinc fulgens, splendens, fulgurans, seu fauillans, aut vibrans; idem re est: hæc igitur excrementa sunt quæ scintillando vibrāt & quæ violēter agitata ad cutem deferūtur, & necessario carnē cutēque penetrant: quod insinuat Gal. lib. 1. de diff. resp. ca. 20. & alibi, & lib. 3. de præsag. ex pulsibus c. 7. ait cinerē putrefacti humoris & fauillā idem esse. Quam sententiam cōplecti videtur Scaliger eruditiss. scintillarum spetiē per candoris in aere reflexionē, nō veras ignis scintillas ex politis & putridis exilire affirmās: quia cādidi natura quā maxime accedat ad naturā lucis; in cubiculo .n. vndique cōcluso micant fulgores ensium & speculorū: cādor autē in putridis, humore absūpto, sicut & in cineribus aptus est refulgere (putridum nāque hic intelligit iampridē putrefactum nūc demum arefactum vt *vltima anausis* facta sit, si enim adhuc humor intus continetur non videtur ignis exiturus;) ceterū exempla quędam memorat vt sententiam huiusmodi firmet & suos cōtra Cardanum amaros effundat sales. *4. Aph. 21. & 23.*

Hæc causa profecto nisi experimēto & testibus oculatis se opponeret videretur āplectēda

& superioribus numeranda legitimis, vt quæ concurrat cum temperamento cunctorum fere qui igne lambente sunt correpti: & aliunde quæ validis Galeni fundamentis fulciatur. Sed tamen quod est simile non est idem, nec potest admitti ista causa, alioquin omnes melancholici similem fulgurantem exhalationem eiacularentur & omnes hoc igne lābente afficerentur, quod repugnat veritati; præterea vt in Historia descripsimus nostri ignes etiam extra corpus per aliquod tempus asseruantur inter stragula scilicet quæ si amoueantur rursus exiliunt & crepitant in lodicibus: vnde nam istum motum tunc accepere? non sane ab humore terrestri & tartareo; reliquum est vt ab igne & vere realiter igne illum acceperint: primum motum & cum illo splendorem potuerunt à vibratione & viuo corpore adipisci: sed secundus qui in mouendo & vertendo stragula conspicitur non nisi ab igne credendus est: nec adeo cæcutiunt qui viderunt, vt in distinguendo fulgorem nigredinis seu albedinis ab splendore flammæ hallucinentur oscitanter: sed aduertat ipsemet Scaliger, vt scripsit, non exiturum ignem nisi a putrido iam arefacto & quod ex marcedine iam extremam acquisiuerit arefactionem (illius sunt verba) ergo si talia dentur putrida incenerita & arefacta, fateatur necesse est posse ab illis verum ignem prorumpere, quod aliud est ab spetie & similitudine quas ipse defendere conatur: nec in furfuraceis squammis aut exhalationibus siccis

adeo

adeo fulgidus calor vt possit tenebras illustrare, corusco quantumuis splendore in aere reflectatur aut vibretur.

Aliquam igitur trium præfatarum causarum, legitimam sanciamus, quæ tamen non in quouis subiecto operetur idem, sed sic valeat accendere salientes e corpore fuligines (vt notauimus in deffinitione) ab astris taliter disposito & ista mirabili signatura insculpto cœlitus: quod suo modo philosophatur Apuleius Medaurensis in libro de Deo Socratis, hoc opus, & similia naturarum miracula tribuens aereis medijs potestatibus, sic scribens, cæterum sunt quædam Diuinæ mediæ potestates: inter summum æthera & infimas terras: in isto interfitæ aeris spatio: per quas & desideria nostra & merita ad Deos commeant; eorum quippe de numero præditi curant singuli eorũ prouide: vt est cuique tributa prouincia vel somnijs confirmandis, vel extis physiculandis, vel præpetibus gubernandis; vel oscinibus erudiendis: vel vatibus inspirandis: vel fulminibus iaculandis, vel nubibus coruscandis: cæterisque adeo per quæ futura dignoscimus: quæ cuncta cælestium voluntate & numine & auctoritate, sed dæmonum obsequio & opera atque cura: vt Annibali somnia orbitatem oculi commoneant: Flaminio auspicia periculum cladis prædicent: Accio Nauio miraculum cotis adijciant, atque vt nonnulla regni futuri signa præcurrant vt Tarquinius Priscus aquila obumbretur ab apice. Seruius Tullius flamma

collumineturà capite. Postremo cuncta ariolorũ presagia, fulgurum bidentalia, carmina Sybillarum quę omnia vt dixi medię quædam potestates inter hominesac Deos obeunt, &c. Quæ apte nos tribuimus astris tanquam causis secundis, varius autem, & imperscrutabilis eorum positus, imperscrutabiles & admirandos parit effectus & hominum varias rarasque naturas Diuini opificis nutu & instituto in cũctis operibus suis admirandi, vt orbis pulchritudinem augeat & sapientiam suam infinitam reddat mirabilem.

Reliquum est vt finis lambentis ignis breui dispalescat. Confugio ad ignita metheora ipsa me manu ducent sunt nostri ignes microcosmi metheora sunt parallela amplioris orbis, illorum finis est (aiunt physici) consumptio fumosarum expirationum ad viuentium incolumitatem & salutem, fere enim huiusmodi anhelitus noxij sunt quibus idcirco purgari aerem oporteat. De isto fine aliquid tetigimus in calce libri primi: nihil obstat quominus maligni & fætidi halitus igne purgentur vt vita. Secundo pręsignificatio aliquorum euentuum ex diuino instituto, vt infra vltimo capite ex antiquorum exemplis notabimus. Tertio vt quibusdam visum est, naturæ æqualitas quia cum ignis regnante frigore per hyemem diminutus sit & inferiora creuerint elementa, conatur natura ad æqualitatem omnia reducere plures igneas concretiones generando: hæc ratio parum microcosmo conuenit, ignis enim lambens potius

tius & copiosius hyeme conspicitur: sed adaptemus. Potest dari in pensum humoris melancholici, atri & tartarei quo tales vt plurimum abundant vt eius malignans natura corrigatur igne, eius crassities attenuetur: eius frigiditas temperetur; & tandem vt eius nigror & obscuritas illustretur & clarescat ne sic præpeditus damnum lethale sit allaturus microcosmo.

Cap. II.

Plura exempla similia connumerantur.

AD exempla propero, ne experientiæ fulcris destituta hæc ruat & labatur Pyramis ignea: fidem suam habent historiæ non contemnendam; nec semper nugantur poetæ carminis artificio, velo hyperbolico verum laruant non destruunt: ex istorum igitur fide loquar & ab antiquo rem illustrabo.

Ascanio Iu o Aeneę ex Creusa filio e vertice flammam erupisse canit Virgilius his versibus. 2. Aeneid. I

Quum subitum dictuque oritur memorabile monstrum,
Namque manus inter mæstorũ ora parentũ
Ecce leuis summo de vertice visus Iuli

Fun-

Fundere lumen apex, actuque innoxia mollis
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci,
Nos pauidi trepidare metu crinemque flagrantem
Excutere & sanctos restinguere fontibus ignes, &c.

2 Lauiniæ Nouercæ, non multum dissimile contigisse concinnit idem vates 7. Aeneid. Sic.

Præterea castis adolet dum altaria tædis
Et iuxta genitorem adstat Lauinia virgo
Visa (nefas) comis comprehendere crinibus ignem
Atque omnem ornatum flamma crepitāte cremari
Regalesque accēsa comas, accensa coronā
Insignem gemmis: tum fumida lumine fuluo
Inuolui ac totis vulcanum spargere tectis.

An Lauiniæ ignis iste fuerit eiusdem originis cum Ascanij flammula dubium est. Versuum verba, ad ignem potius ascitiscium videntur sensum trahere; & forsan naphtæ, aut Aproxidis facultate, a vicina flamma conceptum & arreptū: (est aproxis herba cuius radix e longinquo cōcipit ignes; teste Plinio à Pytagora.

Eſt naphta bitumen natura adeo ſpirituoſum & cum igne tanta cohæret cognatione vt etiã ex interuallo flamma in illud tranſiliat, & calore ſolis facile accendatur.) Vnde Plutarchus in Alexandro naphtam à quibuſdã pharmacum Medeæ ſcribit appellatam, qua coronam & peplum creontis filiæ inunxerit atque hac arte combuſſerit. Quid ſi Hercules ſacrificaturus ad aras accedens veſte naphta illita flammam concipiente combuſtus eſſet in Oeta monte? & hic ſit ſanguis Neſſi Centauri quem poetæ fingunt? de quo Ouidius, 9. meth. fab. 3. Sed aliunde remanſiſſe illæſam Laciniam liquaminis nõ patitur ſulfureus ardor: aut fuit mollis flamma, lambens, ſimili portento Aſcanij ab interno principio excitata: aut ſi Babylonico bitumine attracta, fuit medicamine frenata & correcta immanis eius voracitas & græca vrendi libido.

Seruius Tullius, Corniculani & Ocretiæ captiuæ filius, ignibus notior quam ſcepro, inter flagrantia portenta merito numerandus: is cum in domo Tarquinij Priſci educaretur, flammæ ſpecies caput eius amplexa eſt: ait Plinius minor. lib. de vir. ill. quid Apuleius ſenſerit de hoc igne ſupra tetigimus: ſed an vere fuerit ignis nec ne, ex Plinij verbis hæſitabit quiſpiam, flammæ ſpetiem, ſimilitudinem flãmæ non flammam intelligens: ſed maximus Valerius flammam emicuiſſe narrat; & Ouidius ignem coruſcum libr. de faſtis memorat his verſibus: 3

Nam-

Namque pater Tulli Vulcanus, Ocretia mater
Præsignis facie corniculana fuit
Hanc secum Tanaquil sacris de more peractis
Iussit in ornatum fundere vina focum
Hæc inter cineres obsceni forma virilis
Aut fuit aut visa est, sed fuit illa magis
Iussa foco captiua, sed & conceptus ab illa
Seruius à cælo semina gentis habet
Signa dedit genitor tunc cum caput igne corusco
Cōtigit in que comis flammeus arsit apex.

Vide Plin. li.36.c.27.

Iocatur Ouidius in Seruij parētes, & dum Vulcanum effingit patrem forsan inde ignis lambentis causam rimari voluit, & ad passiones quæ hæreditarie deriuantur, recurrere: nos si ex T. Liuio; Ascanio matrem demus Lauiniā, exemplum addemus non contemnendum: nihil vetat profectò, si rem totam soli committas temperamento posse hæreditarias accēdi scintillas, quas parentum stygma simile per infectos spiritus fætui suggesserit, ignem exsufflante vehementi imaginatione; scimus enim abstrusiora multa ab atauis in nepotes deriuari. Sed vt plurimum discriminatim afficit natura multos nullo functos gentilitio sanguine, quos cælum aut gradu certo ad ignes disponit, aut in occultos fines subito inflammat, vt.

Lucio

Lucio Martio, duorum exercitum duci euenisse perhibetur, cui flamma ex capite dum cõcionaretur eluxit: scribit Val. Max. Potuit animi in dicẽdo feruor & impetus aut igneos oculis iaculare spiritus, aut vapores ita tenues efficere qui facile explosi, ut diximus ignescerẽt & inflammarentur, ò quoties angustia rerum summa, aut præceps & vrgens periculũ loquelas soluit, ò quoties mẽbra liberauit sydderata! 4

In eadem naui Magnus Alexander vt proditum monimentis est, periculo ingenti circũuentus in India quodã prælio concussis armis visus est lumẽ fundere: nisi forsã morosus quis velit armorum concussus & vibratos splendores, flammas fuisse ementitos; ego non dubitarem in Alexandro tanto facilius potuisse inflammari vapores quanto (vt supra notauimus) illos continuo per totam cutem exhalabat odoratissimos. 5

Nec solo Romanorum Regi effictus Vulcanus Pater, effingitur pariter à poetis Licinio Caco quondam Tarraconensium tyranno, eo quod excandescens ore & naribus ignitos efflaret halitus. Sic Poeta, de illo. 6

Huic monstro Vulcanus erat pater, illius atros
Ore vomens ignes, magna se mole ferebat.

Figmentũ forsan & ex eo sparsum quod Cacus celeberrimus ac ĩfestissimus latro, (vt testatur Liuius) cuncta crudeliter de vastaret & igne pol-

pollueret ac ſanguine; eademque de cauſa di-ctus Vulcani filius; ſed nulla hic emphaſis aut allegoricus ſenſus: ignes vere exhalaſſe aſſerit Ardelinus Philoſophus quem meminit eruditus Nierembergius: immo ſuper iſtud fundamentum extructam non dubitat Vulcaai fabulam; non aliter quam ſeruio Tullio, ſic Licinio Caco effici patris, ſed quid mirum accendi halitus per excandeſcentias; per eaſdem ex ore fundebat cruorem Epirota ille celebris Caſtriotus.

7 Accedamus ad paulo propinquiora tempora, quæ ſua etiā exempla ſuppeditabunt: Theodorici Gotthorum Regis pater, vt referunt authores primæ notæ, ex corpore toto ſcintillas profundebat.

8 Id ipſum (addit Cælius Rhodiginus) & de ſe prodidit ſapiens quidam ita vt ſcintillantes flammæ hinc inde proſilirent etiam cum ſono.

9 De Vbamba Gotthorum pariter in Hiſpania Rege, ſcribit Sabellicus poſt Hiſpanorum *Lib.1.ca.4.* Hiſtoriographos, vt ad ſupremum Regni faſtigium eueheretur, per flammam fuiſſe monitos curiæ proceres, in formam columnæ à capite eius aſcendentem.

10 Præterea inter miracula hominis, ait Cardanus, magnum illud cenſeri debet quod cuidam monacho Carmelitani ordinis per annos tredecim perpetuos euenit, nam quoties capillitiū reducebat ad occiput, ſcintillæ ignis e capillis erumpebant. lib. 8.cap.43.de R.V.

11 Et Franciſcus Guidus Iuris Doctor dum nudus

nudus in lecto recumberet casu brachia sibi manu leuigans flammas conspicuas excitabat.

Pari correptus incendio Antonius Zamfius Pisanus Bibliopola cum subuculam, nuncupatam, lineamque interulam arctiorem exueret flammas e dorso & brachijs crepitantes efflabat, magna cum familiarium admiratione ac formidine. Hæc F. Licetus. 12

Hoc etiam frequentissimo in more positum erat Maximo Aquilano medico, vt referebat Petrus Lopius Pisani peripathi professor doctissimus. 13

Philochymicus Ioannes Fabri in suo Palladio narrat se puellam vidisse cui inter pectendum, e capite in gremium caderent ignis scintillulæ, ad instar ruentium stellarum, magno cum adstantium stupore. 14

Notum est similia cadentium stellarum metheora obseruata fuisse Parisijs in Illustrissima Caumontiæ Heroina: quod etiam retulit Scaliger exercit. 174. non vt crederet ignem, sed squammam potius candidam e sudore sicco exilientem vt supra notauimus. 15

Et in Serenissimo Mantuæ Duce Carolo Gonzaga, leui frictione facta, per totam cutem flagrantes obseruatos fuisse halitus, mihi amplissimo testimonio retulit Excellẽtissimus Franciscus Pona inter Veronenses Medicos eximie doctus. 16

Petrus Bouisteau prodigiosarum historiarum scriptor, virum pingit cui sæpe capillitiũ, non secus flagrabat ac si aqua vitæ imbutum 17

18 linteum accenderetur. In noui Regni Granatæ ciuitate sanctæ fidei. Simili passione visus est correptus Hispano Indus quidam adolescés criollium dicunt: cuius rei testimonium missum est illustrissimo pariterqne literatissimo Domino Laurentio Ramires à Prato Regio à rebus Indicis consiliario, qui mihi epistolam patefecit.

Quid plura? adhuc superest quod narrat
19 Cardanus, cuidam scilicet amico suo cuius nomen propter dignitatem silentio præterit: cum domum venisset hora prima noctis exacta in pallij consueta depositione scintillæ à dorso petasi sparsim prosilierunt iterumque reposito pallio dum amoueretur denuo eruperunt, vnde geminato timore perculsus est: intra quindecim dies accusatus veneficij ab inimicis, & quæsitus vt occideretur voluntarium suscepit amicorum consilio exilium. Hæc non omnio contra naturam existimat, quando quidem nulla diuinitate fiant, nec tamen ad causas naturales traducere nouit; posset quidem ait, lignum exsiccatum faginum ignem producere etiam in die, de petaso autem dificile est reddere rationem. Hæc lib. 14. cap. 69. ego non ita difficilem inuenio. Nec inuenisset artis politicæ fœnix ille laconissimus Maluezius, dum vestes, *in Dauide*, partes nostrum certo pacto statuit, ait sic lepidissimo sermone italico. *I vestimenti in vn certo modo sono parte di noi mentre che sono vniti à noi, gli spiriti che continuamente esalano da nostri corpi sono*

sono quelli che producono cotale vnione & coloro che gli credettero animati, bisogno, che credessero anche i vestimenti se non animati almeno ripieni della anima del huomo. Non igitur mirum si ex petaso exierint flagrantes spiritus; si pinguis halitus aut rhipæ quibus petasus erat imbutus conflagrauerint Nec secus scintillant lodices aut lintea nostræ illustrissimæ nobili quæ solo tactu remanserint infecta hoc ignescente halitu; ita vt mirum sit etiam à corpore separata scintillare ac vibrare, vt ex historia patescit.

Sit itaque pro corollario, insigne paradigma Alexandrini Medici Megetij qui à verte- 20
bra coxæ in laborante coxendice ignem exijsse & oculos combussisse testatur, Simplitij testimonio & Philatei relatu.

Et quia triplicem ex Platonis opinione ignem supra statuimus, non abs re erit post flammas & prunas, in his exemplis exhibitas, indicare pariter lucem ignium nobiliorem. Scintillæ innoxie exilientes fuere pro flammis: flammæ comburentes quales e vertebra coxæ prædicto languenti erupere, ad
prunatum ignem possunt referri: Tiberij 21
Cæsaris denique rara & indiuidualis oculorum natura quæ expergefactus noctu paulisper haud alio modo quam luce clara contuebatur omnia, paulatim tenebris se se obducentibus, ad cæleſtem ignem, lucem scilicet pertinere certum est. Inest enim cerebro & oculis lumen aliquod etiam si exiguum;

Et in timeo Plato visus rationem expositurus, ignis, aiebat, illius qui non vrit quidem sed illuminando suauiter diem inuehit mundo, participes oculorum orbes Deos fecisse, & intimũ nostri corporis igné, siquidem huius ignis germanum syncerumque per oculos emanare voluisse.

22 Huius ordinis sunt Augeæ micantes oculi
quos celebrat Apollonij interpres. In suis præ-
lectionibus physicis de se idem testatur pater
Baiolius, & ego sum testis oculatus, obserbauit
23 que vniuersa Schola Burdigalensis. Licetus
Fortunius sibi aliquãdo idem contigisse iurat.
24 Et Cardanus inter sui mirabilia de se scribit in
prima iuuenta illud sibi cum Tiberio fuisse co-
mune vt nuper experrectus in maximis tene-
25 bris omnia lustraret ac si dies clara esset, breui
tamen vi illa sese subtrahente. Ciuem Brigan-
26 tinũ refert Brauus petrafilamus paucis ab hinc
annis, noctu adeo acute vidisse vt minutissima
quæquæ distingueret. Augusto denique vt Au-
27 guste exempla finiã & adeo eximio teste clau-
dam, catalogum ita entiscebant oculi vt si intẽ-
tius aliqué esset intuitus cogeretur is, seu splẽ-
doris nimietate caligaret, vultum submittere.
Sed hoc forsan à seuera magestate & certæ
Deitatis imagine qua ornari Regũ ora voluit
Altissimus. Interim nos ad paulo inferiora
transeamus exempla quæ, à brutis quantumuis
excerpta non parum tamen ad instituti facient
confirmationem.

Cap. III.

Recenſetur Bruta quibus tale quid à natura conceditur.

SI huiuſmodi ignes,ſplendore ſolo micantes aut lumine,hiſtoriam firmare valent, amplam certe dabit brutorum omne genus exemplorum farraginem; ſi enim terras perſcruteris,maria penetres,aera diuidas,ſuas gemmas exhibebunt ſingula elementa, vere gemmæ & pluſquam gemmæ: lucent & non vrunt, gemmæ ſunt; viuunt ac germinant certe pluſquam gemmæ.

His ſine dubio, ex prælibatis ignibus, ignes noſtri gemmei lambentes micabunt vltro; nec ideo deerunt in hoc capite alij ignes, immo ipſiſſimi lambentes,quos deſcribimus,& ratione non diſſimili ſcintillantes e ferino corpore.

Ignes equus arduus efflat.

De Tiberij equo canebat Architrenius,qui ore flammas euomebat dum furens per ardores I
præliorum agitabatur.

Poſſe id fieri ſatis ſupra probatum eſt,nec quicquam repugnat per excandeſcentias inflammari ſpiritum e fonte calidiſſimo erumpentem. Nec idcirco illi dabimus genitorem

Vulcanum, aut vnum e flammiuomis Solis quadriiugibus, de quibus Ouid. 2. meth.

Interea volucres, Pyroeis, Heous, & æthon
Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras,
Flammiferis implent &c.

Talis sine omni poetica fictione potuit esse equi natura ignea quæ facile scintillas ore emitteret.

Quare libenter subscribo dicentibus ignitos
2 illos serpentes in Pharanea solitudine populo immissos recalcitranti; vere fuisse igniuomos: *Num. c. 21.* non qui Dipsadum instar ingentes ardores aut igneam inexhaustamue sitim flammamue *Supra progim. 2.* sicuti Niuernensibus inuisibilem, morsu incuterent: sed qui veras & lethaliter vrentes scintillas per aera spargerēt horrorem eremi formidabili augentes lumine: non pauci sunt qui literalem istum scripturæ sensum sequantur vt notant Rassi, Abenezra, Lyranus, & Abulensis; apte igitur paradigmatis vice non contemnendi; nobis erunt flammigeri serpentes isti.

Sed altiorem ignem illustremus, aut illustremur illo potius, sedem quantumuis infimam occupante. quid! quod vilem putredinis sobolem ornet excelsior flamma? inflammentur muta, celestique radio soluantur in abstrusa eloquia? radientur diuinitus insectula sacro almæ lucis amicimine? non immerito minutula hęc Soli & astris ęquiparabat Pergamenus nec patiebatur ab illis vt sede, superari artificio: audi illum

illum, lib. de vſu part. 5. *ne mireris(inquit) quod pulcher ſit Sol & Luna, adhęc quod chorus omnis aſtrorum miro artificio digeratur, neque etiā te ſtupore perfundat illorum vel magnitudo vel ſplendoris venuſtas vel inquietus motus, vel circuitionum ordines ita vt quæ deorſum poſita ſunt ſi illis conferātur parua & abiecta eſſe videantur ſuoque ornatu & dignitate carere, etenim conditoris ſapientiam virtutem ac prouidentiā hic quoque relucere inuenies*: quid igitur ò Anaxagora tanti faciebas ſidus vidiſſe vnicū? quid Solem tātummodo aſpexiſſe ſemel tibi in præmium vitæ ſuffeciſſe fatebaris? humiliori intuitu potuiſſes altiora contēplari: Ecce Soles, aſtra, Cæli in minuſculis animantibus; ecce lucem; cæleſtem ignem, cæleſtem portionem in vermibus: ecce nouū aſteriſmum, aut inſignē planetarum ſyſigiam, in Coccoio ab Indo obſeruatam: quieſce igitur aut obſtupeſce potius ad lucidiſſima quatuor ſydera quæ in hoc inſecto ſtrenue micant; duo in oculis totidem ſub alis, adeo radianti ſplendore fulgent vt non lucernas, non faces ad quæuis munia altis tenebris obeunda deſideres; cōcinne profecto Veſputius inter ſyderea illa noua noui orbis ſchēmata quibus meridionalem cęli partem hactenus ignotam, diſtinxit, Coccoium locaſſet: nec opportunius ſane Triangulum Pauonem; Chameleum Apē Indicam & reliqua quibus ſupra quadraginta octo, ad veterum inuidiam ornatur Auſtralis plaga cœli; ad iſtius Scarabei lumen, ait Herrera Indicarum

Gal. lib. 5. de vſu par.

3

Ouiet. li. 15 Hiſt. Ind. cap. 8.
Hortel. in deſcr. inſulæ Hiſpan.

rerum ſcriptor peritiſſimus, & exactiſſime post alios Aldrouandus, netur, ſuitur, texitur, venatur, piſcatúr, pingitur ac legitur diſtinctiſſime & noturna itinera abſque vlla hæſitatione conficiuntur, ſi facis vice manugeſtetur animalculum: Indi, pedis digito pollici deligãt ſicque viam & aerem illuſtrant, quod ſcite cecinit Bartaſius ille vatum Gallorũ facile princeps. die 5. 1.ſeptim.verſ.735. ſic.

Deſia l'ardent Cucuye, es Eſpagnes nouueles
Porte deux feux aut front, & deux feux ſous les ailes
L'aiguille du brodeur,aux rais de ces flambeaux.
Souuant d'vn lict Royal, chamarre lex rideaux.
Aux rais de ces brandons, durant la nuict plus noire,
L'Ingenieux tourneur polit en rond l'hyuoire
A ſes Rais l'vſurier reconte ſon threſor
A ſes Rais l'eſcriuain conduit la plume d'or.

O quam lepide!

Sed adhuc illud mirabilius in hac noctiluca, humore certo madent ſtellulæ ſplendentes, quo

quo sæpe delibuti Indicolæ non secus splendescunt quam si flammis circumflagrarent hocque faciunt vt culicum (quibus maxime infestatur America Hispaniola præcipue insula) pungentes euitent promulcides; hunc enim nitorem, seu forsan succi odorem effugere culices compertum est.

Ex isto humore ab animali separato non minus tamen lucente, non inepte respondisset Cardanus mordaci suo Scaligero sic ludenti exercit. 94.3. *Coccoium quare ex India (Cardane) petisti vt eius testimonio liquorem illum tuum in tenebris lucentem occæcares? nam si ex Hispanicis comentarijs in eo insecto, oculorum vis lucidissimorum simul extinguitur cum vita, liquorem illum tuum post mortem viuere necesse est &c.* sane Scaliger optime quidem concludit, sed Cardanus liquorem illum Coccoij, mortuo Coccoio per dies aliquot micare si vidisset, potuisset asserere: hoc scimus nos experti; nec deperdi simul cũ vita laticis splendorem si tamen prius e viuo dematur scarabeo.

Perscrutemur adhuc insecti naturam mirabilem, venatur hoc ingenio; ardentem torrem gestant Indi & Coccoium vocitant ac sæpius Coccoium repetunt, aduolat ex templo ac torrem sequitur iugi volatu (quadam forte luminis sympathia) nec vocantem fugit immo occurrit potius quasi delectetur appellatione, tunc venator flabello aut pallio percutit, ac deijcit circumuolitantem fulgorem, qui supinus si cadat adeo torpet vt vix erigi possit am-

plius,ac ita facili negotio in manus venatorum deuenit.

Sed in Europam reuertamur hæc quoque suos habet Coccoios,quid enim aliud Aristotelis lampirides,aut vulgares cicendelæ?aut quid Coccoium quam americana noctiluca, eo tamen diferunt, (ait Aldrouandus) quod illud sit m inutculum & mediæ cuiusdam naturæ inter cicẽdelam & scarabeum; ob lum n enim quod præsefert cicendelam appellare possimus, ob alarum vaginas quibus est præditum scarabei inter gen ra referre.

Cicendela pariter vtraque & pennata &
4 a pennis cum Coccoio fulgorem habet communem; cum Scarabeorum familia cassidem; no igitur immerito nostram cicendelam Coccoium Europeum vocabimus: quantumuis Americanum quadruplici fulgeat speculo; Europeum vnico tantum fulgorem radietur. Cysolampida non male appellauit Fabius Columna, quia e natibus splendorem emittat; nouum nomen! nouo(vt credit) inditum insectorum generi: a nullo enim, præterquam a se descriptũ impennem noctilucam gloriatur,sed potuisset vidisse Aristotelem quem non latuit sane hæc cicendela,lib.4.de hist.anim.cap.1. vbi agnouit lampyrida alatam & sine alis: & exercitatissimum Scaligerum Vasconum L crambam describentem, apud quos cicendelæ quas lucranbas appellant omnes sunt impennes; quod vero subdit mares in Vasconia esse alatos sed non lucentes, verum quidem ait, sed cum non lu-

ceant

ceant nihil ad nos, illud ſufficit nobis quod lampyris alata apud Italos non alata apud cantabri s, noctu fulgore coruſcanti ſplendeant. Sed ad deſcriptionem : illa pennarum hiatu refulget, clunium colore, nocturno volatu & illarum compreſſu obumbratur; hæc blattarum modo gradiens noctu idem coruſcat igneus fulgor, natium obliquo motu, quo deprehenditur atque venatur æſtate: Eo vtraque poſterioribus fulget lumine vt noctu abſque face obſcuro loco, pagina per quam exiguó caractere deſcripta legi poſſit ad moto deſuper animali paulatimque ſupra lineas deducto: poſt mortem etiam lucent in obſcuro cadaueris nates quãdiu adſit humor, exſiccato quidem illo lumen deperditur: reliquum picturæ huius inſecti eiuſque hiſtoriæ naturalis (vt verum fatear) nemo exactius delineauit Fabio Columna, nemo minutius retulit. De illo denique Thileſius Coſſentinus læpido ænigmate hæc exarauit.

Tantula nocte volans volucris, micat aere tantum
Ardenti ſimilis ſcintillæ: quam puer olim
Aequales inter metuebam tangere, ne me
Vreret: infirma eſt ætas cum neſcia rerum.
Quæ quoniam noctu lucet, cognomen adepta eſt:

Aut

Aut incensa nitet quoniam veluti ignea lampas:
Cauda sit vna licet, nomen non est tamen vnum.
Hæc modo summa petens, commotis emicat alis:
Rursus & adductis fuluum decus aurea condit:
Ardentique procul fugiens leuis igne coruscat:
Et quocunq; volat, secũ sua lumina gestat:
Lumina quæ tenebras arcent, & flamina temnunt.
Nunc velut obsequiosa videntibus aduolat, atque
Fit magis atque propinqua magis: scintillat & ante
Ora, minuta velut candẽtis frustula ferri:
Verbere quæ assiduo fornacibus excutiuntur.
Ex quo rapta Iouis stygio Proserpina (namque
Vna fuit comitum) veterem mutata figuram,
Quærit adhuc dominæ vestigia, & omnia lustrat.

5 Paucula adhuc venemur de feris terrestribus quæ noctu lucent & in primis ecce vt lupus Phe-

Phebeum animal ſeſe nobis offert adeo micātibus oculis & igneum ſpiritum adeo vibrantibus vt illo altis tenebris nullas non diſcernat Caulas, nullis parcat ouilibus; ſed quid loquar ad aſpectum bruti rapacis non timidi tantum pecoris ſed hominum loquelæ & vocis audaciſſimæ? Herebo ad maleficos radiorum fulgores:

——— *Vox nempe Merin*
Iam fugit ipſa &c.

Sed qui naſcetur ab igne congelatio? qui feruidus & igneus lupi ſpiritus, oſſa etiam duriſſima in ventre diſſoluens, vocem nō ſoluet? quin potius præpediat? ſed hoc vulgare commentum crediderim & potius fabulam in lupo quā lupum in fabula (vt trito fertur adagio) ni fautores haberet principes Platonem & Virgiliū: Certius eſt propter oculorum igneam ac ſplēdentem naturam, lupum Apollini ſacrauiſſe veteres, *lycon*, autem Solem vocari etiam Lycopolytana Thebaidos ciuitas teſtimonio eſt, quæ pari religione Apollinem & Lupum colit, In vtroque Solem venerans, quod hoc animal rapiat & conſumat omnia in modum Solis, ac plurimum oculorum acie cernens *tenebras noctis eunca:*, quapropter & illud cum leonibus & elephantibus habet comūne vt magnopere externo terreatur igne. Hæc de leone leguntur apud Aelianum, animal illud (inquit) valde eſt igneum & ea eſt cauſa cur illud ægyptij *De animal. li. 12. ca. 8.*

Vul-

Vulcano consecrarunt, exteriorem autem ignem timet ac fugit, vt aiũt, propter magnam, copiam interioris: porrho cum valde sit igneũ Solis domum esse dicunt. Nihilo ineptius de lupo ista exarare potuisset Aelianus: si enim Leonẽ Aegyptij Vulcano consecrarunt; & Lupum Athenienses Apollini: si ille externas pauet flammas, non minus lupi ignem ex silicibus excussum reformidant: si ille interno plurimo abundat feruore, tanto exuberat calore lupus vt flammarum coruscantes radij effluăt ei ab oculis: si demum leo Solis domus perhibetur, lupum ipsummet Solem etnicos vocasse & coluisse notauit Macrobius.

Gesnerus tamen ex Aphrodisiensi aliã causam cur flammigera hæc animalia flammas reformident, retulit his verbis; Leones, inquit, per Solem ingredi acriorem non patiuntur, sunt enim oculorum acie acutiuscula & ignem interdiu ijdem, ob eamdem causam fugiunt: satis congrua ratio, splẽdor enim quam facile visum disgregat satis notum est; sed lupo crediderim potius metum posse incutere percussa saxa, quàm ex illis excussum ignem, qui parum immanentem quin potius coruscãtem continet splendorem. Cum enim lupi ex canum agrestium sint genere, vt arbitrat Cardanus, peius timebunt à minante silice, quam à coruscante scintilla: dedit Aegyptijs sacerdotibus, occulta hæc antipathia illustre hyeroglyphicum quod exarauit Pierius valerianus, sub titulo timentis à re pauci momenti, sed his re-

Lib. 11. ca. de lupo.

lictis

lictis sufficiat nobis illud certissimum, lupis *micare in tenebris lumina fulgore prunato*.

In fele domestica bellua illud quotidie experimur, *vt in tenebris splendeant oculi*, syderis lunaris aiunt sympathia; quæ tanta est, ait Marcellus Virgil. vt lunæ notas & imaginem quandam in oculis referat, in quibus ad quotidiana luminum lunæ incrementa decrementaque augeri papulas ac minui constat. 6

Histrici aculeato animali similem oculorum radiantem naturam tribuere videntur nō illepidi Claudiani versus. 7

Assimilat Porcum, mentitæ cornua setæ
Summa fronte rigent, oculis rubet igneus
ardor, &c.

De Gryphis pariter monstrosis inter quadrupedes & volucres amphibijs sic Nicolaus Reusnerus cecinit. 8

Igne micant oculi: curuatur acumine rostrum,
Sibilat & grandi lingua retorta sono.

Ambhisbenæ tandem reptilium diræ pesti, quę veneno ancipiti ictus vibrare nouit mortiferos, *lucere oculos instar lucernarum* scripsit Isidorus, libr. duodecimo Originum.

His ne recte annumerabo Diomedeas volucres? quidni: de his plura leguntur apud Pliniū, 9

sed

ſed præcipue illud ad noſtrum, argumentum, Li.10.c.44 *illis auibus micare oculos fulgore igneo*. Sed ſi prunellas rapacium & nocturnarum alitum ſpectes; prunas potius dices quam prunellas, ſunt namque illorum quamplurimi,illo lumine inſito, naturali illa face præditi predæ nocturnæ conſequenda gratia.

Eodem fortaſſe fine aues Hyrcinias,de qui-
10 bus loquuntur Plinius & Solinus ſplédore coruſco ornauit natura parens: non micant iſtæ oculis, quod iam exemplo multiplici videtur vileſcere: *de tota pennata veſte vibrant fulgores igneos*: vincit atram noctem de pennis etiam deciſſis, deciſſum lumen, nec breui illis euaneſcit fulgor,quia non in humore moratur facile conſumptili aut putrido, ſed in exacte ſicca materia, aptiſſima ad ignem producendum vibrandumque; an hoc eſt quod præfato loco voluit Scaliger? ita forſan: & eiúſdem exemplo confirmatur a ſe ſcilicet quondam ad montem bellum in excubijs militaribus procul in arbore viſam lucis ſpetiem: ſenſim acceſſiſſe miratum immobilem; Gallina erat candida (ait)quę metu ob tumultum rapinamque germanorum peditum conterrita ex villa cum aufugiſſet ibi pernoctabat. Sed cur in cunctis candidis gallinis, columbis, & anſeribus non contingit ſimiliter? cur non in pauonibus & pſitacis quorũ vagus color propius accedit ad ignis naturam & ſplendorẽ? humor namque terreus (quo excellit Pauonis caro) adeoque bene concoctus, vapores ſplẽdidos & multum

lucis

lucis in se habentes eleuat, ex quibus colores illi varij; nec tamen splendescunt noctu nec fulgorem emittunt. Certum est cādorem plus habere splendoris & tanto magis splendere colores quanto plus de candore continebunt: vnde facile crediderim aues illas siluæ Hirciniæ pennarum fulgore noctilucas, fore candidas, cum neque Plinij neque Solini authoritas secus credere nos trahat: immo septentrionales feræ vt plurimum albedine perfunduntur natiua: hoc facile dabimus Scaligero, sed à candoris solummodo reflectione, insignem produci in aere splendorem igneum; non patietur canorus olor qui dum candidissimo ornatur amictu minime tamen, se prodit igne corusco: interna ergo quęrenda nobis, huius luminis scaturigo & in alitis substantiali forma non in accidenti locanda.

Non secus quam Pheniceum cæleste iubar, quod scriptis meis pandere non parum dubito II
propter dubiam fidem volucris vnicæ; sed concessa priscis gentibus historia; mature sapientibus allegorico sensu nostri argumenti lepos & splendor erit rediuiuus Phœnix.

Arcanum (enim) *radiant oculi iubar, igneus ora*
Cingit honos, rutilo cognatum vertice sydus
Attollit cristatus apex ; tenebrasque serena
Luce secat, tyrio pinguntur crura veneno.

Elegan-

Eleganter ſane, ſed eligantius Barthaſius.

Le celeſte phænix commença ſon ouurage
Par le phœnix terreſtre, ornant d'vn tel plumage
Ses membres reuiuans, que l'annuel flambeau
De Cairan iuſque en Fez ne void rien de plus beau:
Il feiſt briller ſes yeux, il luy planta pour creſte
Vn aſtre flamboyant aut ſommet de ſa teſte
Il couurit ſon col d'or, d'eſcarlate sõ dos,
Et ſa queue d'azur, puis voulut q'Atropos
Luy ſeruit de venus & qu'vne mort feconde
Rendiſt ſon ange eſgal aulong aage du monde.

Sed ſplẽdoris cauſas mox referam, ſi prius per æquora licuerit parum diuagari. Ne mireris hoſpes, in aquis cęleſte iubar, cęleſtis ignis, lucis dico ſparſas guttulas: fertur ſemper ſpiritus Domini ſuper aquas, nunquam deferri deſinit, nec obliqua afinitate à cęlis diſtant maria: *ſchamaim*, vocat cęlos, cęleſtis lingua; paucis demptis, aquas *maim*, appellat, non ergo mirum in aquis tot ſyderum rudimenta reperiri, in cęlis tot aquarum catharactas; an non aquæ quondam

dam fuere cælum? antequam firmamento diuideret Deus aquas ab aquis? & antequam in vnum locum imperasset congregari? quis negabit totum spatium illud aeris & ignis quod forsan sibi male commenti sunt philosophi, ante aquarum in vnum locum congragationem aut fuisse cęlum aut fuisse aquas? nemo sanę mentis: non meminit certe diuinus ille philosophus Moses, aeris aut ignis: cęli volucres memorat non aeris: quid ergo? an negabo elemēta duo tam preclara & adeo in hominū mentibus alte reposta? quid inde? quid mihi cū Aristotele cum Anaximene aut Heraclito, dummodo meæ philosophiæ fautor sit diuinus codex, à quo fonte omne verū: aquæ sunt cæli sed tenuissimę, diuino illo igne quasi fouente spiritu rarefactę: aqua est maris pelagus sed condēsata & incrassata, ab eo instanti quo ab altissimo iussa est recipi in angustiorem locum; medium spatium quod philosophi vocant aerem aqua est inferiori tenuior; crassior superiori, quas diuisit firmamentū: & fiat firmamentum quod diuidat aquas ab aquis, ait Moses: cōdēsata est tāta moles aquæ quanta sufficeret ad detegēdā terrā futurā mortalibus matrē; reliqua aquarum portio remansit rarior ad eorundem conseruationem & reliquorum terrestriū animalium (aer namque nulla ex se gignit animalia, vt notauit Apuleius, vti neque ignis) videbatur non potuisse conseruari terrestria absque aquarum quodam rudimento, non secus atque aquatilia, quæ terræ consuetudinem habeant ne-

Li. de Deo Socratis.

necesse est ad sui conseruationem; ò quot ex terrestri & volatili familia cõtinet hospites immensum æquor! ò quot terra in antris suis fert aquatilia! hæc duo vere sunt elementa vere fertilia; producat terra animam viuentem: producant aquæ reptile animæ viuentis & volatile super terram: reliqua quæ vocantur elementa sunt elementorum ligamina, non sunt elementa; nec videntur fuisse creata in prima alla Genesi vt aqua & terra, quæ in illis principij sacris characteribus *In principio creauit Deus Cælum & Terram;* habent suæ originis stemmata; quasi dicat in principio creauit Deus aquam & terram; sed satis sit nimium diuertisse calamum, volunt ista ampliores paginas & altiora otia; nec ignem describentes aut aerem ignitum, videbitur consentaneum explodere à physica aerem aut ignem non enim explodo magnum illum spiritum, elementorum quasi vitalem in corde mundi genitum, repetam ergo inceptum iter; aquæ sunt Cæli dixi, nõ ergo mirum in aquis videri cęlorum agmina & totius vniuersi cõcepta simulacra. Quod Poeta meus admirãda musa sic modulabatur.

Voila pourquoy ce Iour il commence à animer
Les nageurs cytoyens de la venteuse mer
Des estangs engourdis, & des fuyantes ondes
Qui par les champs feconds se roulent vagabondes

Rendent tant de poissons en forme si diuers
Q'on voit comme plongè dans les eaux l'vniuers,
L'onde à comme le ciel, lune soleil, estoiles &c.

Et quod illustrius est ignis cælestis portiúculas (quas hic ambimus) in aquis non paucas admirari licet; An pluūt stillæ lucis illæ, stellæ potius, ab amante cælo, consanguinitatis lege, sororem ornante gemmis fulgentibus? an adhuc super aquas fertur spiritus Domini? Pergite gemmata agmina; pergite flagrātia *selachita*, cartilagineo pallio lucentia: qui vos squammis spoliauit, ille vos anicit lumine quo noctis vin- 12
ceretis vmbras. Nec vos solas effecit alma parens æquoris fasces nam lucernas etiam gignit Mare. subit (ait Plinius) in summa maria piscis *Li. 9. c. 27.*
ex argumento appellatus lucerna: linguaque eius ignea per os exerta, trāquillis *noctibus*, re- 13
lucet, cui Luppius hoc posuit disticum.

Est lucerna mihi nomen, quod lingua refulget,
Si noctu aspicias, lumina vera putes.

Lucendi vis alijs præterea piscibus inesse compertum est: Concharum e genere Dactili sūt, 14
ab humanorum vnguium similitudine appellati, his natura, in tenebris, remoto lumine alio *fulgore clarere*, & quanto magis humorem habeant, lucere in ore mandentium, lucere in

manibus, atque etiam in solo atque veste decidentibus guttis; vt proculdubio pateat succi illam naturam esse quam miremur etiã in corpore, verba sunt Plinij lib. 10, cap. 61. & satis dilucidæ præfatus Lippus sic descripsit

Dactylus illustrat radianti lumine pontum;
Appositus mensæ, lumine mensa nitet.

15 Lunam piscem tum forma tum nocturno lumine cæleste sydus referentem (quam Galli Beut, appellant) obseruasse radiantem memorat Gesnerus, & idem testatur.

Rondel. de piscibus.

16 De miluo pisce qui in tenebris ardentes mẽtitur prunas: illud expresse scribit, mortuo adhuc animali splendere non parum oculos libr. de herbis lunaribus.

De his extant curiosa epigrammata quæ referre non displicuit, ijs tantum disticis quibus res aptius tangitur.

De Luna.

Hunc multi piscem dignantur nomine lunæ
Quod lunam ex aliqua parte referre putent
Forte etiam noctu quod multo splendeat igni
A tali dictus lumine luna fuit.
Ergo suam cæli retinentque suam æquora lunam
Tres fuerint, terris si addita luna fiet.

Hæc de miluo. quem forte cum lucerna supe-

ſuperius deſcripta confundunt.

Hunc noctu ſplendere ferunt, ideoque lucernæ
Nomine dignatur maxima turba hominum, &c.

Inter maritima adhuc admirari licet *pennam* quæ pennis auium quæ ornamenti gratia galeris, poſtquam arte comptum & fucum receperunt, affiguntur ſimilis eſt. Eſt enim coloris diuerſi, à piſcatoribus *penis pennatus* dicitur, quod altero extremo ſuo, extremam penis virilis glandem præputio denudatam repreſentat. Quamdiu viuit, intumeſcit, fitque ex interuallis ſolito maior: emortua flacceſcit penitus. Lucet autem micatque noctu, ſtellæ inſtar. Iconem dedit Rondeletius, & deſcriptionem læpidum hoc epigramma ad effigiem poſitum. 17

Quis neget æquoreis extent quod mentulæ in vndis
Illarum vera hæc cum ſit effigies
Nam flaua, aut nigra, aut viridis, quædam eſſe videtur
An maris ex ſpuma mētula nata fuit?
Eſt. & noctu nimio candore relucet
Quæque etiam pennas alitis inſtar habet.

Mare ſarmaticum ſeu germanicum piſces alit calidis regionibus ignotos & valde mōſtroſos. 18

Eiusmodi est is qui limaci similis, dolium corporis mole æquat, arboreis autem cornibus ceruum, extrema cornua in orbiculos rotundantur vnionum instar splendentes: ceruice est crassa, *oculis accensæ candelæ modo micantibus;* naso obrotundo &c. descripsit ad vnguem Pareus lib. vigesimoquarto post solertissimum Theuetum qui id in Dania vidisse asserit tom. 2. lib. vigesimo, suæ cosmographiæ.

19 In Nouergiæ mari ingentis magnitudinis pisces conspiciuntur *quorum oculi procul esse ardentes ignes noctu à piscatoribus crediti sunt*, vt refert Olaus magnus libr. 21. capit. 3. an idem sint cum supra descripto Theuecti monstro limaciformi, nec ne parum refert.

Sed cui istorum conueniat quod Gregorius Nazianzenus tetigit, in ijs carminibus in quibus præcepta dedit virginibus, non facile est indicare; cuiusdam piscis mentionem facit quem *empyron* vocari mõstrat hisce versibus.

20 *Ictys dei empyros esti* . . . .

Idem voluit Laertius in fine vitæ Empedoclis, vbi eius sententiam de animarum trasmigratione proponens sic loquentem facit:

——— *Kai ex alos empyros ictys &c.*

Quamquam D. Basilius 8. Homil. in Hexameron, huiusmodi sententiam innuens, non *empyros*, sed *enalios* legisse videtur. Cæterum qualis fuerit piscis *empyros* non satis conuenit inter auctores, alijs interpretantibus Assarum, alijs igneas rubrasque maculas habentem (puta trottam saxatilem) propter quas apud Athe-

aeum

neum in ottauo; pisces nonnulli fluuiatiles *empyrundes* dicũtur: alijs verba ad Salamandram torquentibus. Sed toto cęlo à vero aberrarunt, quid enim illis post *selachita*, post lucernas, dactilos, lunam aut miluum vere *empyra*, querendum est? tolerabilior est Mercurialis qui stellam piscem sibi proposuit propter eius feruidam & vrentem naturam, omnia enim in mari cõtacta adurit omnemque cibum statim peragit de qua post Aristotelem Plutarchus, Plinius, Albertus Magnus & Rondeletius scripsere, sed cum non fulgeat in tenebris non audet admittere vtpote quæ non conueniat cũ versibus Naziãzeni qui *empyron* minime igne domari scribit & accensum in medio mari lucere; quid ego sentiam pandere non dubitabo; ad genus cartilagineum scilicet, posse apte referri *empyron*: ista enim noctu lucent, vt diximus, & indicat nomen græcum, à verbo *selao*, quod est *splendeo*; & Galenus de illis scribens horum animalium ait cutis est aspera & noctu splendicans. Sed qui dabitur resistere & non domari flammis *empyron*? an cutis aspera, clauata & lappis scutellata osseis, quasi crusta quadam aut armatura ignis violentiam ad tẽpus præpediet? an vero mucor, quo molles & cartilaginei pisces vt plurimum exuberant, ignibus valebit resistere quin & sæpe prunas extinguere? vt de Salamandra quidam perhibent. ad hæc, maior pars eorum quæ noctu lucent certo imbuuntur latice in quo spiritus ille lucidus firmatur & inde scintillat ac se prodit,

Lib. 5. var. lect. ca. 8.

Arist. lib. 5 de hist. ani. cap. 15. Plin. li. 10. cap. 60.

Lib. 3. de alim. fac. ca. de cartila.

ita vt vix quæ luceant reperiantur absque humore splendente & quæ multo humore aereo, pingui, & vliginoso abundant absque splendore: sunt huiusmodi cartilaginea quæ tum splendere noctibus, tum ignes congenito & viscido humore possunt extinguere. In spinis quorundã piscium in Scotia hoc expertus est Cardanus noctu prunarũ instar lucẽtibus; cum autẽ asseruasset post quindecim dies euanuit nitor ille. Vidimus nos millies apud Cãtabros, pisces quos boldrinos vocãt micare admodum in tenebris, donec vliginosus humor quo imbuuntur perdurauerit, nec solum pisces aut squammas illorum sed mantilia quibus forte inuolueuantur simili splendere tinctura, qua deperdita mox euanescebat fulgor: non euanescit subdit Cardanus, in cicendula, non in ligno quoniam in spina causa est nitor, in ligno candor, in animali lux; ego vero dicerem omnium esse causam, lucem sed spinarum aut squammarum piscium, residentem in humore excrementitio & pingui: lignorum in humido aereo foras euocato à putredine dissoluente; animalium vero viuorum in humore congenito & exactissime concocto.

Sed antequam splendoris istius causæ variæ enodentur; duo exempla referam & experientia & argumenti proprietate illustria, sæpe nobis contigit experiri (quod etiam notauerat Licetus.) in frictione nigræ felis e dorso belluæ flammas erupisse quod frustra in candidis tentatum est.

In

In equis porrho hoc contingere tritius est, nec egemus exemplis Ioachimi Fortij aut Cardani asseuerantium per nigri equi collum manu sursum ac deorsum in tenebris ducta, vndique ignium scintillas erumpere se conspexisse: dum hæc scribuntur extat Veronæ equus cuius possessor est mihi charissimus Archangelus Podauinus pharmacopola ad insigne Archangeli, in quo idem experiaris. Si per collum, vel strigilem vel manum forti agitatione ducas, exhilient scintillæ, non scintillarum species ab albedinis reflectione (cum equus sit saurus, non cādidus) sed veræ scintillæ igneæ: rubei autem equi afflauabile iracundi læui & ardenti euadunt animo, talisque color splēdore non pauco viget & ornatur; at nigri pariter seu fusci ab exusta bile plerunque sunt fortiores ac furibundi, vnde non mirum (vt etiam ex felibus nigris) si ex fuscis equis potius istiusmodi exhalationes vibratæ accendantur, rationibus superius deductis.

Neque est quod Scaliger nobis opponat equum candidum quo ipse in Calabria potitus est ad vsum cathaphracti, ex quo in tenebris, strigilis frictione squamma siue furfur candidum districtum exiliens veras ignis scintillas æmularetur & oculos falleret crebra ac coruſca vibratione; non autem veræ essent igneæ scintillæ: certe an fulgor ille à furfurū exilientiū candore an vero ab equi colore cādido micauerit, debuisset explicare: crediderim nihil

pilo-

pilorum albedinem hic conuenire immo potius albus color ſegnes timidos ac pigros (vtpote qui ſit pituitæ ſoboles) efficit equos; ex quibus minus feruidi ſpiritus, minus ſiccæ exhalationes eleuantur quæ mox difficilius accenduntur. Sed potius ſquammulas furfuraceas quas ſiccus ſudor excernit in equis omnibus, etiam aliter coloratis aut nigris, eſſe albas; & ſtrigili aut frictione amotas, in terram decidentes (non enim vibrari credendum eſt cũ ſint valde terreæ) aliquem leuem fulgorem emittere, non tamen ex ſe, ſed ab aere externo, quantumuis nocturno in earum ſiccitate & leuore receptum & inde repercuſſum: at quod eiaculari & exilire etiam cum ſono & crepitu ſentitur, calidam & ſiccam exhalationem eſſe certe nobis credendum eſt quæ vt diximus accendatur & tanto facilius quanto à materia calidiori fuerit eleuata.

Reliquum eſt vt lucentium non vrentium animalium nocturnus ſplendor luci meridianæ diſpaleſcat. Pergo dicere.

Sicut cor mundi Sol ſuo ambitu lumen & per lumen virtutes ſuas inferioribus affundit, ratione compari in corporibus noſtris Cor motu ſuo quodam perenni proximum ſibi ſanguinem agitans, ex eo ſpiritus in totum corpus, & per illos, luminum ſcintillas membris inſinuat, ſingulis quidem, ſed oculis vel maxime; ad ſurrectas vtique ac prominentes corporis partes, ſpiritu leuitate inſigni ſcandente, præcipue eiuſque lumine per oculos qui perſpicui ſunt

ſunt atque omnium partium nitidiſſimi vberius promicante: fecerunt enim D'j (ait Plato) & nos ſæpe retulimus illius ignis qui non vrit quidem ſed illuminando ſuauiter diem inuehit mundo, participes oculorum orbes: talis flammeus ſpiritus eſt vera cauſa nocturni ſplendoris oculorum: ſed cur non cunctis, dices, tum hominibus tum brutis euenit ſimiliter? an quod non omnes eodem tenuitatis gradu diſpoſitos ſpiritus, ſunt conſequuti; quanto enim tenuiores, eo lucidores eſſe non eſt dubium, qui ad diurnum Solis ſplendorem diſgregati diſſoluantur facile: vnde contingit tales noctilucos oculos interdiu luſcioſos & hebetes obſeruari; nocturnum vero aerem craſſiorem aut obſcuriorem impune ferre; & inde detegi ſpirituum apprime ſubtilium ſplendor qui non parum videatur vibrare radios & externas illuſtrare tenebras: an etiam quia glauci & felinei oculi quodam ſplendore perfundantur qui ex adnatis tunicis exiliens facile aerem verberans videatur coruſcare: proprius eſt color iſte, noctuarum oculis quæ nocturno vtuntur aere & ideo apud Græcos dicuntur Glaucæ: felium quoque & leonum, itemque amphisbenæ ſerpentis (vt vult Iſidorus) lumina pari colore perfundi certum eſt quibus non minus datum ſplendere noctu. *Li. 12. Origen.*

Perpendendum modo, quo pacto Cicendelæ & ſimilia inſecta quæ noctu lucent, elueſcere videantur, Ariſtoteles in opuſculo de ſenſibus, vt ſcribit Philaltheus, com. in libr. de

cęlo,

cælo, polita tersaque præsertim aquea & aerea apta esse ad producendum fulgorem, sed non ad mittendam lucem asserit: idcirco illa animalia quæ noctu vagantur perpolita dum volant aerem terunt nocturnum & fulgent. At gemmæ & diaphana perpolita apta sunt ad fulgorem, nec tamen noctu fulgent ex se.

Melior certe est ratio Georgij Reischij in sua margarita philosophica. noctilucæ inquit noctu ideo visibiles sunt quia intrinsecum & connatum lumen habent, illudque habent ab igne: nam huiusmodi vermes quoniam sine sanguine sunt & frigidi, igneæ partes circa digestionis locum concurrunt & ibi lucent. Sic & piscibus qui frigidi sunt & in frigido degunt elemẽto natura squammas prouidit multum duras & terrestres, partes igneas conseruantes pro roborando calore naturali.

Sed cur lumen cicendulæ aut Coccuii aqua aut glacie non extinguatur, hanc posuit causam Albertus Magnus, *non enim* inquit *potest dici lumen illorum esse de natura cælesti: quod natura cælestis non venit in compositionem corporum generatorum & corruptibilium. Sed huius & similium conclusio accipitur ex his quæ à nobis in secundo de anima sunt determinata. vbi ostendimus quod natura perspicui non est propria alicuius elementi, sed communi natura quæ est in multis & participata est per prius & posterius ab illis, quæ quidem purior est quanto est ab opacitate remotior, & hoc est quanto naturæ superiorum similior efficitur;*

citur; & huius proprie actus est lux quæ fieri habet in illa natura: fit autem in ipsa quoties constat partes eius limpidiores esse & nobiliores: & ideo tunc micant omnia talia: hæc autem compositio aliquando est in toto composito aliquando non in toto sed in exterioribus tantum, cuius causa est leuitas elementorum prædominantium quæ magis accedit ab intimis cōpositorum ad extrema eo quod talia supernatant &c. hæc Albertus qui, cum de noctilucarum lumine ageret de alijs item noctu lucentibus suam opinionem haud sane spernendam prorsus tradidit vt suam rationem de cicendelis horum exemplo clariorem faceret. quam iterum ducemus ad incudem, cum lucentia inanimata referemus, licet in his magis mihi arrideat Georgij Reischij sententia: nunc transeo ad enumerandas plantas noctu lucentes breui; tamen discursu ne Doctissimi Gesneri opus lepidissimum transcribere videar, quod ipse felicissime ad cornua duxit.

Caput

Caput IV.

Deſcribuntur Plantæ quæ ignem eiaculantur.

NEc ſpoliantur vegetabilia cęleſti lucis ornamento: ornantur equidem ſuo igne, veſte ſua, vermiculantibus ſcintillis ſegmentata, pluſquam auro: nec deficit oculata chlamys arboribus: habent oculos arbores in ſurculis; ſic dicti non ſolum ob figuræ externæ ſignaturam, ſed ob interni potius ignei ſpiritus affluxum; inde enim germinant, non aliter quam ardenti propagato ſpiritu & per oculos effuſo; ſic vident animalia luminibus, ſic lucent næuorum oculis, ſic micant ſic fulgent, non orbantur ergo lumine vegetabilia; quamuis animalium non plantarum ſimulachra viderint diuini vates in ſacro illo diuinæ lucis pilento flammeo; videbatur non meruiſſe flores fouentem tantum zephirum; vrentis adeo flaminis impetui non fore vt ſuficerent fragiles plantæ terrenis nimium fixæ ſcrobibus. Sed aptiſſimam crede, vegetabilium naturam, amplectendi cæleſtis influxus, non minus quam animalium, plãtauerat enim à principio altiſſimus Paradyſum, ab exordio totius vniuerſi; ſic Hyeronimus; ante omnem rerũ creationem plantatas à ſummo opifice arbores

in

innuit. Sed illud nimis curiose hebraizans protulit: collige tu ex his plantarum præ cæteris creaturis antiquam genesim, excellentem naturam & arctam cum diuino influxu necessitatem.

Sed quandoquidem in pensilis istius horti Hypæthras labyrintheas scandere licuit; perscrutemur an inter tot consitarum arborum myriades flagrantem aliquam ac scintillantem inueniamus.

Credidere non pauci terrestrem paradisum à Deo fuisse plantatum in illa vere Elisea insula quæ hodie Zeilani nomine circumfertur, illustris gemmarum partu; rara aromatum germine; semper virens, fertilis, illibata: in hac vt testantur Horta, Argensola, & Ludouicus Romanus mira crescit arbos, robusto trunco, proceritate mediocri, minuto ac crispo folio, colore corticis cinereo, *quæ noctu fulgores vibrat igneos & obscurissimam noctem rutilo vincit splendore;* tantum iubar ligno! tanta pompa speciosæ arbori! vt famam vitæ adepta sit; qui Zeilaneum constituere paradisum & ipsimet incolæ, hoc sibi alte persuasum habent; sed cum multis alijs à vero aberrant toto cælo, non enim in Taprobana paradisus: non sub æquatore; nec minus allegoricum credendũ est Edeneum Pomarium; aut in vertice montis attingentis globum lunæ constitutum (nugæ sunt hæc) pensilem adeo aut idealem sibi somniarunt non pauci Paradisum quos terruere forsan salebrosum iter & ignoti limites: vere fuit

in

in Oriente positus, deliciarum hortus ille mirificus; sic fidem facit inconcussa sacræ paginæ veritas: nil quæras amplius, quis ergo credat Zeilaneam arborem noctu splendentem, quãtum . is ardore & scintillis viuam, esse vitę mysteriosum lignum, vetitum transgressori Adamo? & rhomphea versatili à Cherubo, inexorabili custoditum? Nil vetat sane, quo minus sacrum illud pulchritudinis viridarium, infinitis pari splendore rutilantibus herbis creuerit ad loci auctiorem gratiam & ornatum: sed in reliquis terræ vallibus, si quæ fuerint plantæ huiusmodi; nullatenus sensatorum hominum debent rapere admirationem: naturæ varie ludentis sunt opera: sunt eiusdem pulchrescentis rara cosmetica: sed fiunt sæpe miracula asyla insipientię, & quicquid supra domesticam consuetudinem eleuatum conspicit vulgus, mox admirabundus aut errabundus in Sacramenta reijcit; paradisos sibi somniat; & mysteria fingit infinita: hæc causa est Zeilanei Paradisi vidisse in insula micantem noctu arborem: obseruasse in vertice prærupti scopuli vestigium plantæ pedis humani, vt ex eo apochripham hauserint fidem. Prothoparentem ibi fleuisse pęnitentem, & præ dolore plantam impressisse saxo, ad tanti amoris ardorem forsan liquescenti: viden *quantum sit in rebus inane?*

Non aliter micat arbor ista quam admiranda illa palestinorum Baaraz cui pariter crediderim non paucas ineptias superaddidisse super-

perstitionem populorum præsertim illo pede præ cunctis Orientis gentibus claudicantium, sic illam nobis expressit Flauius. *Vallis autem qua ciuitas a parte septentrionali cingitur, quidam locus Baaraz appellatur vbi radix eodem nomine gignitur quæ flammæ quidem assimilis est colore, circa vesperam vero veluti iubare fulgurans, accedentibus eamque euellere cupientibus facilis non est: sed tamdiu refugit, nec prius manet quam si quis vrinam muliebrem aut menstruum sanguinem super eam fuderit: quin etiam tunc si quis eam tetigerit certa mors est, nisi forte illam ipsam radicem ferat de manu pendentem. Capitur autem alio quoque modo sine periculo, qui talis est. Totam eam circumfodiunt ita vt minimum de radice terra sit conditum: deinde ab ea religant canem illo que sequi herum cupiente, radix quidem facile euellitur, canis vero continuo moritur tanquam eius vice, a quo herba tollenda erat traditus: nullus enim postea accipientibus metus est, tantis autem periculis propter vim capi eam opere prolitum est, nam quæ vocantur dæmonia, pessimorum hominum spiritus, viuis immersa eosque necantia quibus subuentum non fuerit, hæc cito si tantummodo ægrotantibus applicetur abigit.* Hæc ille; huius plantæ in nostra Theumenia iam mētionem feceramus propter aliquod animæ sensitiuæ rudimentum, quod in illa iure merito admiratur; nunc vniuersam auctoris descriptionem referre placuit, vt perpēdamus,

Li. 7. c. 25.

2

an à nugis aut superstitione libera nobis tradatur palestina ista radix; sed quid muliebre lotium aut menstruum sibi volunt aliud? Sed philosophemur adhuc, quamuis ab argumento tantisper discedamus; supra ni fallor menstrui sanguinis insignes malignitate effectus tetigimus, adhuc violentiores ac pestilentiores credam, comunes plantas exurit ac tabefacit, non contactu solo, sed vicinitates, non mirum si rara hæc Baaras Zoophita natura illustris, ad maligni hostis præsentiam hæreat ac stupescat, forsan illi muliebre menstruum venenum est specificum, plusquam alijs, partem præcipue sensitiuam corrumpendo; non vegetatiuam cum cæterũ plantarum genus eo arescat ac corrumpatur: non ne torpedo stuporem incutere piscibus ac piscatoris brachio compertum est? ac si veneno singulari roboretur molle animal inpensum Haccidissimæ naturæ quod de illa canebat Oppianus, torpedini, molli, teneræ, debili, tardissimeque natanti, pro robore venenum à natura datum esse: non secus plantæ huius vegetatiua forti contemperatur calido, armatur ignibus & scintillis stipatur, quibus malefici hostis menstrui infestam naturam contemnat facile, in debile ac tenerũ sensitricis vestigium (quo veluti infamulatum tantæ vegetatricis, natura diuinam plantam ornauit) irruentis lætaliter.

Lib. 2. alieuton.

Cæterum an mẽstruus sanguis, radicis aconitale & napelleum halitũ frenare valeat propria virulentia, facile credent qui venenum

vene-

veneno ſtudent vincere, exemplo illius adulteræ mulieris quæ diuerſa miſcuerat pharmaca propinãda marito zelotipo, vt trito fertur epigrammate, aut qua methodo Sarmatarum populi peſtilentem luem ſolent abigere; fætore nimirum ac corruptione multorum canum occiſorum & in plateis derelictorum, quam retulit Alexander Benedictus: ex putredine ſiquidem in dictorum canum cadaueribus cõcepta in aerem exhalante; eius corruptionem, animantium generi mortiferam videtur poſſe immutari: cuius quidem immutationis cauſam exiſtere, aiunt, diſcordiam ac rerum diſſimilitudinem vnde & vnum venenum ſæpe fugare alterum, proculque abigere obſeruatum eſt; quod & ipſum inſignis quidã naturæ perſcrutator Zoar nomine, referente Benedicto conſtanter affirmat: nos tamen horum philoſophorum explicationi vt ex parte erroneæ ſuffragari plane non poſſumus vt enim ſi malum malo addideris, ſic etiam ſi venenum veneno miſcueris, nunquam reſultabit bonum vel ſalutare. Vt taceam hoc loco, licet corruptiones dictas quas illi abigere peſtem contendunt, ad ipſam producendam ſolas iudicemus impares: tamẽ cæteris paribus ad eam ſubtilitatem eleuari poſſunt vt contagium potius promoueant quam eius inhibeant curſum, non eſt ergo veriſimile quod radicis maligna vis, menſtrui virulentia emendetur, quin potius augeatur & creſcat: adhæc illud ſolum legitur apud Ioſephum, illius aſperſione quieſcere tantum fu-

Lib. de febre peſtil. cap. 6.

gientem plantam non autem lethalem eius in euellendo halitum temperari refractione mutua, ſatis enim iam firmata radix & conſequuta, adhuc non impune euellitur. An vero tetri halitus ex ſcrobe tanquam ex tepente gremio eleuati; an vero immundi ſpiritus radicis cuſtodes euellentem iugulent non ſatis cõſtat. Sed hoc potius crederem.

Et præterea genuini fundamenti vice pro verificando Heſperidum mendacio exhibere hanc plantam non erubeſco: immanem draconem aurea mala vigilanter cuſtodiſſe confinxere poetæ, hanc forſan aut ſimilem innuentes, energumenis apprime vtilem cui draco humani generis hoſtis aſſideat inuidens hominum fęlicitati, ſi tantum alexicacum conentur adipiſci: non ſunt nugæ: fugauit quondam Aſmodeum ſuffitus cordis Callionimi; & mille ſunt plantæ quibus ſimilem energiam impertiuit altiſſimus, (de quibus ſingulari quęſtione agemus fuſius in libris variarum lectionum, quamprimum fauente Deo in lucem edendis,) patet enim ex præfata Ioſephi Hiſtoria, non eſſe vapores ab ſcrobe eleuatos, ſiquidem poteſt ſine noxa profundiſſime excauari, dũmodo non prorſus eruatur: conſtat aliquid ſupra comunem naturę ordinem illic coniungi, ex eo quod violenter renitatur radix, effugiat altiſſimeque immergatur: ex eo quod preſente alia ſpeciei eiuſdem ſine vllo periculo extrahatur: an ageret radix in propriam ſpeciem? non ſane: vlterius, mihi crede, tendit ſacra radicis virtus;

Libro Variarum Lectionum. Anb:

tus;

tus: ex eo quod collecta, sit omnium radix potentissima, solo contactu quæ fugare valeat Dæmonia: quod denique lucifugos spiritus vibrato plurimo splendore in tenebris abigat ac dissipet; quo vno lucidissimo argumento nostra nunc vt illustrarentur scripta pretiosissimam plantam ex Iosepho libenter accersiuimus.

Tres adhuc supersunt plantæ noctu splendentes quæ ad nostram peruenere notitiam, de quibus Aelianus & Plinius breuiter sunt loquuti: hæc de Nyctilope leguntur apud istum: *Lib. 21. c.*
Nyctegretum, ait, *inter pauca miratus est Democritus, coloris ignei, folijs spinæ, nec à terra se attollentem, præcipuam in Gedrosia narrat,* 3
erui post æquinoctium vernum radicitus, siccarique ad lunam triginta diebus, ita lucere noctibus, Magos Parthorumque Reges vti hac herba ad vota suscipienda. Eandem vocari Chenomychon quoniam anseres à primo conspectu eius expauescant: ab alijs Nyctilopas quoniam e longinquo noctibus fulgeat.

Illud habeo in hac planta quod aduertam, acquisititium forsan possidere fulgorem, productum nempe ab ariditate post euulsionem contracta: sed tamen necessum est fateri, à principio interno, illo decorari splendore, quem viridis & aqueus humor obruit donec per siccitatem euanescente impedimento & attenuatis partibus igneis; eductisque de gremio materiæ in quo sepultæ iacebant admirandæ flammulæ; non

non parum agente ad id lunaris ſyderis tæpore & euocante partes aqueas ad exteriora, quæ mox igneis illuſtrentur & ſic fulgorem emittant. Similem lucendi cauſam dilucidabimus mox, referentes ligna putredine lucentia.

Sed tamen licet nyctilops ſopitum cõtineat fulgorem, non eundum eſt inficias illi (vt pariter ſimilibus lucernis vegetantibus) aliquid diuinum ineſſe præter comunem plantarum ordinem. Nec enim incaſſum à magis & Regibus Parthorum tam ſedulo appetitur: Quamquam non inuenuſte aliquis afferre poſſet ex Platone, mille florum colores vaga pulchritudine micantes nil aliud eſſe quam flammulas, in illis genitas ob ſubſtantiæ tenuitatem paucitatemque humidi, nõ autem ob diuinum quid, præter comunem plantarum ordinem: optime quidem ſed vt in floribus, folijs, fructibus, & alijs quibus vis rebus creatis, non ad proprium dumtaxat colorem ſibi congenitum, ſed ad figuram etiam diſtinctiuam ſpeciei, atque indiuiduitatis; certus gradus, inefabilis (incertum aptius dixero) pro vniuſcuiuſque indiuidi aut ſpetiei temperamento ſtatuendus eſt: non aliter in nyctilope gradus ille temperamenti abſconditus qui ſcintillantes fulgores producit; eſt illud diuinum quid, à ſola namque diuina ſapientia cognoſcitur vt ait Fernelius; ergo vere diuinus: ſimile iubar non ſecus quoduis produceret virguitum ſi tali condonaretur gradu, ſplendent quidem flores, micant, ac fulgent

Li. 1. de abdit. rer. cauſis c. 3. e 4.

colo-

coloribus suis quantum fert eorum gradus temperamenti congeniti, sic Baaraz dum viret igne coruscat, sic arbor Zeilanea: sic denique marina *Aglaophontis:* sic terrestris,quę diuerso nomine *Cinopastus* appellatur: istæ sunt reliquæ quę desiderabantur de quibus scripsit Aelianus tanto lumine noctibus distingui; scintillarum iubare tanto radiari vt nō lucernas sed fasces dixeris. Nihil de his habeo quod dicam amplius, ita ieiune illas nobis tradidit Aelianus. 4 5

Sed nyctegretum Democriti adhuc reducamus ad incudem,triginta diebus lunæ radijs expositam, fulgorem concipere post Plinium, reliquit testatum nouissime Ruellius: an herba, syderis humore putredinem contracta ad lignorum instar marcidorum noctu lumen effundet? an radiorum lunarium tæpore tanquā instrumento exhibebit artifex sopitus suas vires? & in materia sepultas excitabit? hoc sane crediderim: similes enim vegetantis animæ igniculi instrumento eodem surgunt in illo admirādo archano, chimico (quod retulit Quercetanus de forma in cineribus latitante.) Sed quis ille artifex qui tanto vtitur instrumento? pari ratione erit dicere Solem non parentem sed instrumentum generationum? hoc ipsum innuimus, nullatenus enim Solem agnoscimus causam generationis nisi instrumentalem; verum artificem intra rem esse expedit,non extra: hic est vera rei forma substantialis, quæ vtitur Sole calorem agitante, pro instrumento

ſeparato: pro coniuncto vero, calore compoſiti aut igniculis in compoſito latentibus, quos ipſe excitatus agitat: in Solis ordine vtitur in plantis calore terræ aut fimeti, in animantibus, vteri, quorum calor instrumenta ſunt pariter ſeparata quamuis dignitate & energia multo inferiora Solari. Oſcitanter igitur Ariſtotelem tam abſolute Solem & hominem generare hominem: Solem & plantam, plantam eructaſſe, credunt nonnulli. Vin exempla peremptoria? lege doctiſſimum Guidonem Brocenſem, ille Lutetiæ Pariſiorum brumæ diebus medijs trium horarum ſpatio offeret tibi ſeminatas & productas plantas ad mediocrem magnitudinem, inſtrumento quod ipſe ſolertiſſime in locum ſolaris caloris, tunc temporis & loci, frigide ſatis & pigre operantis ſubſtituere nouit. At ille mirus artifex vere domeſticus adeo penitiſſime complectitur materiam vt vix ab illa ſegregari valeat, quantumuis ſegregari videatur, habet enim ab altiſſimo datam miniſtrantem ſibi in cuſtodiam intelligentiam ſaltem vnaquęquæ plantarum ſpecies ſuam ſibi comiſſam, quæ vt aiunt hæbreorum ſapientes, *plantas fert & creſcere facit* (hæbraiſmus eſt) quod probant illo Iobi 38. numquid noſti ordinem cæli & pones dominatorem eius in terra? (quamuis alij dominantia ſydera intelligant non ſpiritus poteſtatum, ex affinitate verborum *Mazal & Moſel*, quorum hoc *poteſtatem*, illud *ſydus* ſignificat: in Brutorum ſpeciebus hoc certius ſtatuitur, ſic tenent Origines,

Lib. de nat. plant. c. 17

Herez itraba. pereg. 10.

Augu-

Auguſtinus, Aretas, Andreas Cretenſis, & alij patres, inter quos adhuc exactius rem premit Auguſtinus, adeo vt videatur ſingulis plātarum & brutorum indiuiduis veſle aſſignare cuſtodem ſpiritum. Miniſteria fuere aſiſtentium Angelorum reduxiſſe in Nœticum ſacrū illud vitæ aſylum ſingulas animātium ſizigias: exinde diſtribuiſſe per orbis plagas ſingulorū naturis ingenuas. Hæc Enthea mens Naucleri vice regit opificem nec diſperdi ſinit vnquā; ſinit cohiberi aut quieſcere in gremio materiæ ſed corrumpi corrupto quamuis compoſito, illud non patitur.

O quam pulchre quamuis audacter nimis clamarunt neoterici quidam, immortales plātarum animas; quantumuis immortalitatem intellexerint Coſmicam (læuius hoc malum) non æternam illam quę fide inuiolabili nobis extenditur vltra naturæ limites, vltra mundanam durationem (impia nimis & effrenis foret illa cogitatio) potuiſſent tamen ad primos obtutus acutiora occęcare lumina, ni obſtitiſſet Ariſtoteles acrioribus collyrijs menten dæfecando. Non grauabar illorum tela detegere, cōte ſamiata triplici, acutiſſima, grauiſſima, irrefragabili, rationis ſcilicet, auctoritatis & experientiæ ſed quæ leui veritatis cōfrictu obtuſa & languida dilabantur. *Sic igitur* argumentis ſe muniunt.

Nihil, aiunt, quod habet eſſe reuertitur ad non eſſe: plantarum animæ vtique ſunt: non igitur ad non eſſe poſſunt reuerti. Ad hæc

animæ

animæ ſunt formæ: formæ ſunt eſſentiæ rerum quæ non pereunt nec corrumpi poſſnnt; debét igitur mundi æuum & durationem adæquare. Sunt indiuiduæ & indiuidualiter ſubſiſtunt, eo modo quo ſubſiſtunt eo durant, & ſunt incorruptibiles, nec peribunt niſi cum ipſa labente mundi machina.

Hanc ſententiam authoritatum fulcris adhuc mordicus firmare contendunt, quid aliud dicunt intellexere Aegyptij, in myſticæ philoſophiæ libro aureo qui Ariſtotili adſcribitur; dicentes *Plātarum animas hauriri omnes de vna ſcaturigine de vno primo conceptaculo, eo quod pari modo & ſimili ſorte vitam accipiant: Plantarum animam eſſe ſubſtantiam non accidens, eſſe incorpoream, indiuiſibilem, ideoque incorruptibilem;* ardua ſane verba! ſed quæ ſcripturæ ſacræ fundamentis innituntur: iſta leguntur in ſacro illo abſtruſæ philoſophiæ codice Iobi viri fortiſſimi cap. 38. *lignum*, inquit, *habet ſpem: ſi præciſſum fuerit rurſum vireſcit & rami eius pullulant, ſi ſenuerit in terra radix eius & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit & faciet comam quaſi cum primum plantatum eſt.*

Hæc ſane ſatis luculenter opinionem firmare videntur, non perire abſolute plantarum formas, ſed cohiberi & ceſſare à vegetandi functione, ad quam mox poſſint exſuſſitari teporis vel aquæ inſtrumento (& tepor eſt odor aquæ) vt denuo poſt longum tempus ad vitam reduces agantur.

Expe-

Experiméta demum huius hypothesis quærunt à physiochymicis qui vera naturæ arcana tractant, ac veram philosophiæ praxim profitentur, afferuntque instar multorum præclara duo (a nobis alibi relata) alterum solertissimi Poloni qui in cineribus, plantarum formas asseruabat, quas cum vellet ad teporem lucernæ excitabat: quod arcanum à multis hodie audio possideri, post quam casus & solertia doctissimi Quercetani & socij cuiusdam de Formentieres viam curiosis fecerunt expeditam: Dominus de Luynes peritissimus quem non latuit hæc rara operatio diserte de illa cecinit hoc disticon.

Secret dont, on comprent que quoyque le corps mure „
Les formes sont pourtant aux cendres leur demeure. „

Alterum est quod á Guidone Brocense huius seculi iatrobotanico celeberrimo didicimus experiri, plantam scilicet seruare suam formã in eiusdem aqua, sale & spiritu quæ si commixta mandentur terræ & foueantur calore debito, reuocatur forma plãtæ in illis partibus sopita & latitans, denuoque vegetior ac elegantior germinat ac crescit; quod si ex planta prægnante semine prædictos contingat educere lactices, exurgent plures plantæ eius speciei quorum formæ in seminibus seruabantur suo tempore experrecturæ.

Ex

Ex isto adhuc periculo non verentur audacius proferre, *Plantarum animam esse totam in toto & totam in qualibet parte;* etenim si ex paucis guttulis, aquæ, salis, & olei, surgit vna planta & ex totidem alijs guttulis adhuc alia & sic sexentæ: vnde nam, quærunt, ista exurgit multiplicatio formarum? non aliunde sane quam ex eo quod anima seu forma vnius plantæ indiuiduæ fuerit tota in toto & tota in qualibet parte, si quidem ex qualibet parte iterum potest excitari totalis & integra.

Nec ideo contra Aegyptiorum allatam authoritatem diuisibiles plantarum formas statuunt, immo minime, ex his, aiunt, indiuisibiles esse constat: sunt quidem multiplicabiles & integre separabiles & possunt in infinitum propagari secundum atomorum infinitum numerum: non autem scindi aut secari, ita vt in ramo sciſſo sit pars sciſſa formæ quæ ramum informabat, sed tota quædam forma quæ mox apta est renouari & ens quoddam completum in actu primo, quod in secundum quam primum transiturum est: sufficit laticis guttula, sufficit pulueris aut cineris vel minima & volubilis athomus pro animarum huiuscemodi paradiso in hisce latibulis quiescunt & quasi in altam quietis noctem submersæ dormiunt donec à mente illa Colchodea iterum per longam annorum seriem præcipiantur surgere: nihil aliud arbitrantes sibi velle illam Auicennæ formarum datri-

datricem mentem, quam Origenis & Augustini custodes spiritus, quam hæbreorũ sauciantes & mouentes intelligentias, quarum elucet prouidentia tum in seruando formas in dictis latibulis & arido stipite, tum in educendo in actum quoties concurrant requisitæ dispositiones in materia & instrumentorum debita applicatio.

Sed non vult peripateticus conseruari plantarum animas corruptis earum compositis, vult cum illis corrumpi, vult scindi ac diuidi, nec intelligit philosophus quo pacto forma quæ est actus remanere possit absque actione & sub alia forma, siquidem verum est quod quicquid aduenit enti in actu est accidens non substantia, quoniam duas completas formas non patitur vnum compositum, nec obstat quod aduersarij recalcitrent, ac ingerant actum suum primum qui sufficiat ad continendam formam latentem in composito non operantem secundum suam naturam, sed quiescentem & otiantem, donec adsint requisitæ dispositiones ad operandum in actu secundo exterius aduenientes: non aliter quam Doctissimus Fienius Louaniensis asserebat animam rationalem primam ingredi fætum tertia scilicet die à conceptione quæ ibi donec in dies aggregarentur necessariæ dispositiones ad accretionem & motum & reliqua actus secundi munia, in actu primo quiescebat: quam opinionem Santa crucius viriliter explodere conatus est: sic nos cum

peri-

peripateticis iſtam plantarum perennitatem ſternere ſtatuimus quantumuis repullulationes mille, mille germinationes à ſiccis ſtipitibus admirentur hiſtoriæ, vt de Herculis claua quam germinaſſe authores fide digni referũt. Sic Romuli haſtam, retulit Plutarchus, & 1. metamorphoſ. cecinit Ouidius, his verſibus.

Vtque palatinis hærentem collibus olim,
Quum ſubito vidit frondeſcere Romulus haſtam,
Quæ radice noua, non ferro ſtabat adacto
Et iam non telum, ſed lenti viminis arbor
Non expectatas dabat admirantibus vmbras.

Sic Vbambæ bubulci Hiſpanogothi cum inopinate ad Regium faſtigium eleuari permiſit amica ſors, fuſtis aculei quo boues pungebat de repente flores & folia emiſit, vt teſtantur Hiſpanorum hiſtoriographi.

Sic Ariſtoteles 2. phyſ. capit. 1. concedit ex Antipherone poſſe lectum ligneum terra defoſſum pullulare. Sic Virgilius admiratur rurſum germinaſſe ſiccam oleam & iterum actu ſecundo priores animæ operationes excreuiſſe dum canit.

Nil radicis egent aliæ ſummumque putator

Haud

Haud dubitat terræ referens mandare cacumen
Quin & caudicibus sectis (mirabile dictu)
Truditur e sicco radix, oleagina ligno.

Hunc versum ingenue interpretatur Seruius, fit inquit, quod nunc dicit de oliua & myrtho quarum sicci stipites secantur vsque ad medullam, & terræ infossi ex se arbores exerũt, quod sine dubio mirum est, & idem confirmat eruditissimus Cerda in eiusdem loci cõmentario ita scribens: *testes sunt oculi scientissimorum agricolarum à quibus id quæsiui: testis ars ipsa quæ nunc quoque in Hispania vbi ago summe viget, secant agricolæ, scinduntque in partes plurimas caudicem oliuæ, cui amputata radix, cui amputati rami, ita confectum infodiunt & inde se format radix & mox arbor, quod poeta stupet quia vere mirum.* Hæc ille, experimento irrefragabili locum Virgilij illustrante.

Sic denique Theophrastus, libr. 5. de causis Plant. cap. 4. & lib. 5. de Historia plant. cap. 10. arida ligna sæpe repullulare scriptum reliquit, *cum rudia tum laborata in opus si quem humorem sentiant.* (in quibus certe, Iobi phrasim videtur æmulari,) *vt iam Cardo quidam vualuæ, germinasse prodatur & poculum limo iniectum.*

His adiungam quod obseruarunt in hortis proprijs Iulius Scaliger, & Licetus, vt narrant, ille exercit. 140. & hic lib. 3. de his quæ diu vi-

uiunt ſine alimento, cap. 7. ille *Achanti ſeminalem vim hoc modo occultam in terra latuiſſe octo annis;* hic *truncum oleæ aridum & leuem & alterius ligni fulcrum eique clauis affixum poſt decennium pullulaſſe,* quod latius illi referunt.

Quæ inuiolabilia experimenta & mille quæ poſſem congerere, Licetum doctiſſimum impulerunt vt opinaretur, *eandem animam quæ viuentem plantam constituebat remanere in cadauere plantæ, nec cadauer informare, rurſum autem ſeſe exercere & formæ iterum officio fungi poſſe.*

Sed non eſt anima illa quæ ſopita illic reſidet, non forma plantæ, implicat enim dari in ſubiecto formam non informantem, ſed quædam virtus ſeminalis quæ ſubſtantia non eſt ſed accidens, quo forma abiens ſuum domicilium quaſi in monimentum amoris deliniuit; hæc virtus eſt præuia & prima diſpoſitio ad formæ nouæ eiuſdem ſpeciei introductionem quæ ſubito ac reliquæ adueniunt, protinus à cauſa vniuerſali Deo Optimo Maximo immittitur de nouo genita, quæ nunquam antea fuerit, & de gremio materiæ extemplo elicita.

Tamen hoc abſurdiſſimum putant noſtri Neoterici multis de cauſis; prima quia ſi ſingula forma quæ vnam materiæ portionem informauit, potuit in illam, cęlare virtutem ſeminalem ſui, non vident cur potius vna forma repullelet quam alia. Secunda quia non ſunt

multi-

multiplicandæ entitates sine necessitate nec ligandus D. O. M. quasi ex debito ad nouā productionem formarū, siquidem nihil vetat quin prima remanere possit coercita in angustiori materiæ portiuncula. Tertia quia virtus illa seminalis vere est substantia non accidens & ipsamet anima vegetatiua quæ non potest abesse à subiecto sine subiecti corruptione.

Sed dubitationes istæ facile euacuantur: nam vltima formarum quæ materiam deserit illa est quæ virtutem illam in ea exprimit & semper anteriorem impellit donec aduenientibus reliquis dispositionibus, spetiei similis forma introducatur, si vero contrarias dispositiones accidat illic cumulari tunc illud principium deperditur & cędit locum aduenienti formæ. Ad secundam non multiplicantur entitates sine necessitate nec ideo ligatur Deus creaturis infimis sed ipse sic disposuit vt coaptarentur tales dispositiones, mox formam introducturus propter harmoniam vniuersi quam ipsa Diuina sapientia ita ordinauit vt non propter dispositiones concurrere teneatur, Sed quia ipse determinauit formam talem introducere, sic necessario coaptantur & aggregantur dispositiones ita vt non ille propter illas, sed illæ propter illum concurrant. Ad tertiam illa virtus vere accidens est non substantia, habet tamen aliquid supra accidentium communem naturam vt scilicet per illam species propagetur, ad indiuidui vero perennitatem

nihil certe magis importat quam quæuis alia proprietas dimanans à forma, ſed quoniam illo medio perennantur rerum ſpecies, inde nata Neotericorum ſubtilis opinio; non enim negamus ſpecies plantarum de mundi duratione eſſe immortales, non tamen indiuidua, poteſt quidem illa virtus ratione accidentis abeſſe à ſubiecto ſine ſubiecti corruptione non aliter quam ab homine detractis vaſis ſpermaticis ſeparari virtus generatiua remanente hominis forma, ſic grana tritici & alia ſemina in quibus videtur reſidere principia ſeminalia plantarum, ſi ocellus (vt ſapienter faciunt formicæ) erodatur non amplius pullulant, nec tamen granum tritici corrumpitur.

Replicant tamen aduerſarij non priuari virtute, ſed inſtrumento, imperfectis animalibus neceſſario & determinato, in plantis minime, principium enim ſeminale licet in ocello præcipue reſideat, experimenta tamen ſuperius allata per totam molem diſſeminatum arguunt, non ſecus ac facultates animæ principes per totam cerebri ſubſtantiam ſparſas nec diſtingui ſedibus vt ratum erat apud Arabas, ſapienter cognouit Galenus: Sacra pariter phraſis indicare videtur plãtarum ſeminalem vim per totam plantam dilatari vt patet ex præfata Iobi authoritate, & ex illo quod apud Danielem cap. 4. ſcribitur *ſuccidite arborem & diſſipate illam attamen germen radicum eius in terra dimittite* quaſi aliarũ partium à ſemine ſit quoque germen & tritum eſt radices bulboſas humore

more multo viſcido plenas longo tempore e terra euulſas & in aere derelictas germinare; & folia Opuntiæ ſingula mandata terræ ſuam integram plantam totalem conſtituunt ſicque volunt eandem indiuiduam formam quæ totam opuntiam informabat eandemmet conſeruari in folijs & in vnoquoque indiuidualiter propagari, vnde hanc concluſionem paradoxam elicere auſi ſunt. *Eaſdem ſcilicet animas, vt formas & eſſentias plantarum eſſe incorruptibiles, corrumpatur quamuis compoſitum, eſſe incorporeas indiuiſibiles & de mundi duratione immortales, eſſe propagabiles & integre ſeparabiles, non infundibiles perfectione rationali nec tamen ſecabiles materiali imperfectione, hoc modo eſſe plantarum formam totam in toto & totam in quilibet parte, eſſe denique in earum minimis partibus, in ſuccis, in putredine, in cinere, in puluere, in atomis, ſignatum earundem ſeminale principium & illic cuſtodiri ſubſtantialiter, illic quieſcere donec ad odorem aquarum, ad teporem aſtri ſuperioris iterum reuiuiſcat, non enim anihilari abſurde credendum eſt non corrumpi ad corruptionem compoſiti; ſunt ſubſtantiæ formæ quæ non habent contrarium à quo corrumpantur, ſunt eſſentiæ quæ ad non eſſe nō poſſunt reuerti.* Denique vt magis vrgeant & clarius rem exprimant quadruplicem formarum terminum ſtatuunt, vel enim forma annihilatur, (aiunt) vel euolat ad originem à quo emanauit, puta animam mundi, ideas, aut quid ſimile; vel cor-

rumpitur vel remanet in particula minima materiæ. Primum & secundum omnino sunt explodendi, quoniam quicquid habet existentiam per generationem debet illam amittere per corruptionem non autẽ per annihilationẽ quæ rebus creatis tantummodo est proportionatus interitus; auolatio versus principium iã cum mundi anima perijt apud philosophos. Corruptionem Aristotelicam non admittunt quoniam forma non potest esse subiectum corruptionis aut generationis, alioquin in omni generatione aliquid præcedentis formæ remanere foret necesse, quod obsurdum est, & hoc soli materiæ conuenit non formæ quæ non est diuisiua nec partilis, & non esset maior ratio cur aliquid formæ præcedentis remaneret in eodem subiecto cum consequente, quam tota forma quod est inconueniẽs peius priori, ergo solum compositum corrumpitur non forma; necesse est igitur vt corrupto composito forma illa quæ abit coarctetur in minima materiæ atomo, relinquendo priorem materiæ quãtitatem in quam noua forma introducatur, vetus vero minusculo puluere contenta illic resideat occulta in actu primo donec aduenietibus necessarijs dispositionibus extendatur ad nouã materiæ quantitetem & dimensionem quæ illi mediatibus dispositionibus adiũgitur, sic igitur transeundo in actum secundnm munia exerceat suæ naturæ & extensioni proportionata.

Sic philosophantur isti, suscitantes, meo iudicio antiquam Anaximandri & Anaxagoræ

opi-

opinionem dicentium corruptionem esse latétiam rerum apparentium, generationem vero exitum rerum latentium: sed iã satis euacuata manent eorum fundamenta, illud vnũ enodandum venit in eorum thesi *animam scilicet plãta esse totam in toto & totam in qualibet parte*, effrene certe paradoxum nisi ab eisdẽ prudenter enucleatum acceperimus *est tota in toto* anima plantæ (aiunt) vnitate quadam multiplicabili; *est tota in qualibet parte* non eadem met indiuidua vnitate qua erat in toto, sed diuersis vnitatibus, à prima propagatis totalibus tamen & completis, ita vt verum sit dicere esse totam in qualibet parte, at, vere immortalis anima rationis particeps multo sublimiori modo hanc implet propositionem, est tota in toto anima rationalis vnitate simplicissima, immultiplicabili, impropagabili, & eadem ipsissima indiuidua vnitate totali qua est in toto, est simul & semel in qualibet parte; quapropter vere *vnicam* vocabat illã propheta Regius & apud Hebreos nomen *Iehida*. i. vnica, est vnum de præcipuis nominibus quibus animam appellant, est enim vnitas in rebus omnibus comes perfectionis, multitudo imperfectionis & quo quicquid imperfectius eo minus vnum.

Finem fecero scribendi si prius quæsiuero ab istis nouatoribus, quid nimirum senserint de abstruso illo & colendo miraculo amygdalescentis virgulæ Aaronis, dicent forsan naturali cursu germinasse & egisse fructus? quidni, fuit quidem (dicent) miraculum illo instanti &c

occaſione extra naturæ ordinem ſuppleuiſſe Deum defectũ diſpoſitionum, defectum cauſæ humectantis, fouentis & naturaliter formam excitantis Solis: ſed in productione nullum miraculum, quoniam Dei, Opt. Max. ſapientiæ inperſcrutabilis eſt proprium valde vt cauſis ſecundis vtatur non omnino incongruẽtibus ad patranda mirabilia ſua facinora, qui enim potuit vt culter, aut pallium Aaronis amygdaleſceret, voluit hoc effici in amygdalina virgula, in qua propinquior afinitas in qua potentia nõ adeo remota, nec adeo ſalebroſum iter. Sed abſit hoc abſolute credere, aberrãt toto cælo philologi iſti de cæleſtibus agentes, impiam Galeni opinionem de potentia Dei imitari videntur aut ſub olere; negabat Græcus ille Deum poſſe cuncta, *naturamque quædam facere non poſſe ea que Deum ne aggredi quidẽ omnino ſed de eis quæ facere poteſt quod melius eſt eligere*, impia verba ethnico vomitu eructata! ſciant itaque philoſophi hunc errorem à Moſe præuiſum, nec amygdalinam protuliſſe virgam ne cum mirabiliter amygdaleſceret; durum & ceruicoſum vulgus in euentus referret phiſicos; fuit certe aliud lignũ & ſimul de vno caudice cum alijs duodecim virgis pariter deciſſum, vt magis elueretur fraudis ſuſpitio; ſic ſtupendum miraculum; diuerſum lignum feſtinaſſe amygdalarum productionem: ſic adhuc miraculum, feſtinaſſe, illud enim ſonat vox *ſequidim* à verbo *ſaquath*, ideſt feſtinare quoniam præ cæteris arboribus feſtinet

Libr. 11. de vſu partiũ cap.

amy-

amydalus emittere flores; ò quam multa latét in vno apice sacri codicis misteria! huiusmodi sunt infinita miracula, referam pauca vt iucundior sit digressio; serpentem æneum fecit Moses contra morsus venenatos, cur non ex alia materia? cum a Deo nulla præciperetur determinata, fac tibi vrentem & pone illum pro signo (sic hæbreorum fert Authographus) ò abstrusum sapientiæ Diuinæ medicamentũ similia similibus curari, quid ais Coe senex? vrentes angues auerruncari vrentibus? quid hoc? distant ita Dei cogitationes, a cogitationibus hominum: æneum voluit; ne pertinax populus in talesmanicam referret potestatẽ, si ex aptiori fecisset materia, æneum enim, vere vrens simulachrum, vere serpens; siquidem ære interimuntur (inquit R. Ioseph. Kimchi.) demorsi à serpentibus, si metallum tetigerint si aspexerint, ergo æs vere Vrens, vere Regulus, sic Moyses cautus malitiam populi delusit, sic doctus mentem Dei adimpleuit quæ in dictione *Nechaz*, i. serpens: *Nechoz*. i. cuprum, latere volebat, vt altius magnificaretur signum vt coleretur mirabilius.

Sic amaras *Marah* aquas non fecit dulces melleus fauus, non glycirrhiza, non denique Saccharata arundo, amara & lætifera Rhododaphnide (harhdopheni hæbraizant Talmudistæ.) dulce patratum miraculum, vt Isacidũ inuiolabilis fert traditio.

Quid denique massa ficuum vlceribus malignis tetrius, quantumuis Valesius doctissi-

mus frustra quæritet ex Galeno aptare consentanea lib. sacræ philosophiæ capit 39. illa voluit Deus curari Regem Solymorum nequis in posterum physicis fideret medicamentis renuente Deo, sic mille quæ in hunc modum referri possent, altissimi potentiam enarrantia, non tamen imus inficias sæpe causis secūdis vt aliorum ferebat sententia, suum liberum ordinem relinquere sed hoc gloriosius & opificis potentiam magis ducit in admirationem & cultum.

Sed luxuriantem nimis calamum comprimere iam tempus est: si enim nocturnæ plantæ illum in obscura & abstrusa sophiæ antra impulerunt, reducant eundem lucentes & perspicuæ in triuum callem; statuatur fulgorem qui in arido Nyctegreto conspicitur ab interno oriri principio ab anima scilicet quæ viridem informabat plantam, adhuc in siccis folijs latitante; ad teporem radiorum lunæ quasi ad odorem aquarum euocato illo vitæ igneo vestigio. Sint igitur plantæ scintillantes, non solum formis sed fama in posterum immortaliores, non corrumpantur & ipsæ, igne pro sale balsamico embammatæ; sale fœderis inflammabili pro duraturo embammate ignitæ: sit Macheruntis radix, sit Zeilanea arbos vere paradisea quarum fulgores non vmbras noctium caducitate vincant sed meridianam lucem perenni viuacitate superent; sit adhuc in plantis ignis vsus sigillum non ineficax cuiusdam terminatæ immortalitatis. Sed quo pariter

ter illustrentur mineralia, post vegetantia ratio postulat discutere; aliæ igitur.

Cap. V.

Res inanimatæ ignem vibrantes examinentur.

DIspalescat iam rerum creatarum extrema classis; immortalescant splendore mineralia quibus non datur aliquo viuere spiritu; viuat *immensum æquor* igne plurimo; viuant magnæ *parentis ossa*; & tanquam e Leonum ossibus excutiantur ex illis scintillantes animæ; animetur denique *aer* multiplici flamma quam diuinitatis honore insigniat indoctum vulgus: quam insigniuerit olim more suo perditus Ethnicismus.

Sed ab aquis exordiamur: flagrasse non semel maria, flumina, stagna, fontes; & Poetæ & Historici non dubiæ fidei fatentur: audi Nicephorum dicentem, vt capta Roma sub Alarico maritimi fluctus perinde, ac campi igne exardescere fuerint diu visi. Audi Cedrenum; Sigonium, Diaconum, asseuerantes vt Leonis Isauri tempore, æstate media (fuit annus Christi 727.) vapor veluti ex camino ignis inter Theram & *Li. 13. c. 35*

The-

Therasias insulas ex profundo maris per aliquot dies ebullierit, qui paulatim incrassato & dilatato igniti æstus incendio totus fumus ignitus monstrabatur.

Maiolus. Idque pariter in Italia apud Puteolos accidisse compertum est, extantque adhuc montes ex eiecta pumice confecti.

Leander. Apud Vulcanium montem Possidonius testatur ex ipsa maris superficie promanasse ignẽ lambentem aquas ipsas, limosum cænosumque quiddam superstrauise mari, quod postea in lapideam duritiem conuersum est.

Vaseus anno 939. Hispaniæ Chronicon circiter annum 939. e mari ortum ignem commemorat & in varias diffusum regiones vsque Zamoram longe mediterraneam Vrbem, multa oppida incendio absumpsisse, quid plura? Aristotelicum problema pro hoc dubio supra retulimus & causam in oleosa pinguedine collocauimus: quam pariter in aqua potabili fluminum, stagnorum & fontium adducere oportet, explosa penitus omni sicci opinione quod primum flagrabile quidam ex philosopho perperam statuunt: flagrat namque pingue bitumen in aquarum gremio & hinc suas saginat flammas: ardent viridissima ligna si pingui non destituantur: aridissima & exsucca ignem detrectant vix idonea cõflagrationi expinguium commertio, ex quo sola siccorum conflagratio vt pinguium mera & immediata flagrabilitas. *Li. 4. meth.*

An in potabili aqua aliqua concedatur pinguedo quæ illã inflammabilem reddat nec ne,

dicat

dicat Theophrasti grauitas: probent veridica experimenta: statuat denique Hetruscus Archiater eruditissimus, præfatus philosophus: pulcherimo illo libello cuius index est peri pyros, *deuri aquam potabilem ita asserit, vt flammare etiam palam perhibeat.*

Quæris pericula? euolue auctores probatissimos Homerum, Liuium, Nicephorum, Plinium, Strabonem, & mille; offerent isti quāplurima, sed interim prodeant in lucem pauca hæc lucidiora; in primis ante omnes surgat vnus Ferreriæ fons seu riuulus, (apud delphinates iuxta Gratianopolim) quem memorat D. Augustinus & eruditissime nuper pinxit Tardinus Medicus: quis non obstupescet ad illius incendij miraculum; Pyræ ardentis iugi gaudet contubernio, nec torrentem vnquam deserit torrens flamma, quasi alterum Phlegetontem in ambiente aura flagrando efformet: non dubitauerim tartareū illum flammis æstuantibus rapidum amnem apud priscorum mētes nimis credulas, hinc veram sumpsisse scaturiginem, fictum incrementum.

Sequatur istum Anapauomenos Iouis fons Dodenus: mox Illyrius: mox qui ad aquas scantias exit igneus; mox denique Comagenèus & Traiymenus flagrantes lacus: hæc & talia miracula describit Magnus ille naturæ Genius Nouocomensis; Dodoneum his verbis: *in Dodone* (inquit) *Iouis fons cum sit gelidus & immersas faces extinguat, si extinctæ admoueantur accendit &c.* Illiricum vero his *in illyrijs*

supra

supra fontem frigidum expansæ vestes accen-
3. Septimana ver. 249 *duntur*, de quibus Barthasius sic modulatur admirando,

Que diray ie de toy ? ò fontaine sclauone
Que diray ie de toy ? ò source de Dodone
Dont l'vne art les drapeaux ; l'autre ò merueille, estaint
Le brandon alumè, & le ralume estaint.

Abstrusi huius arcani reddens rationem Lucretius sic pariter canit. lib. 6. rer. nat.

Lib. 6. de rerum nat. *Frigidus est etiam fons : supra quem sita sæpe*
Stupa iacit flammas concepto protinus igne :
Tedaque consimili ratione accensa per vndas
Collucet : quocunque natans impellitur auris :
Nimirum, quia sunt in aqua permulta vaporis
Semina : de terraque necesse est funditus ipsa
Ignis corpora per totum consurgere fontem :
Et simul expirare foras : exireque in auras :
Non tam viua tamen, calidus queat vt fieri fons.

Simi-

Similem causam statuit Nierembergius igniti riuuli Delphinatis, experimento Claudij Ricardi Iesuitæ qui torrentis cursum alio diuertens flammam diuertere non potuit, vtpote quæ de vaporibus e solo pingui & tophaceo iugiter surgentibus aleretur, de hoc nos alibi Deo fauente. *Lib. 1. c. 24 curiosæ philosophia.*

Sed Dodonei incendij diuersam prodit causam, Melæ eruditus expositor Vadianus *cæterum*, dicẽs, *quia gelidissimus fons est fieri potest vt face recenter extincta & ad gelidam fontis superficiem adhibita, ignis ambiente frigore pressus flammam recipiat rursumque flagret, antiparistasi hac efficiente.*

Nos vero ex vtraque, tertiam componimus, *Pinguedinem* nimirum; non in vaporibus à solo bituminoso per aquam dispersis, aut aerem circumfusum: sed in ipsa aqua proprie insidentem, qua delibutum paulo ante extinctum Ellychnium reuiuiscit, laticis frigore strictius comprimente ignea corpuscula: Est antiparistasis vera; verum est. Sed ea conditione vt illius aquæ pinguedine necessario perfundi papyrum oporteat, alio quouis humore minime producturam flammas. Sed a suauissimo Nardio subtilius subodoremur hanc causam. Hic penitissime perscrutatus, cur nimirum ignis subterranei adeo perennet pabulum; concludit pinguem substantiam quam terra vbique erogat offerri in viaticum igni subterraneo: hanc continuo per traducem esse suimet propagabilem; iugem vero materiam suppe-

ſuppeditari huic miſto *ab humido aqueo*; ſicco bibuloque terræ corpori immerſo, in quod tanquam in apparatam materiam, *pingue* medijs ſubterranei ignis calore, & ambientis terrę frigiditate, introducit tandem ſuam formam. Non aliter oleoſa pinguedo terræ in aquam horum fontium alte ſuum impreſſit character quo tale operetur miraculum, non tamen qualemcunque pinguedinem (poſſet enim ſic ex quouis liquore pingui puta oleo, bitumine, vino, aut marina idem produci) ſed certam & ſpecificam ab indiuiduali loci proprietate; aut cæleſti influxu ſingulari, idoneæ materiæ pingui maritato.

An ex his fundamentis dubitabis amplius potabilem aquam pinguefieri & inflammari? nequaquam certe, eſt materia apta nimis, nimis diſpoſita vt ab oleo terræ pingueſcat, ſi non quantum aqua maris, ſaltem quantum ſufficiat vt quandoque poſſit vri & flammas emittere.

Refer huc analogice quod libro ſuperiori ventilauimus, de aqua in bilem vere & formaliter tranſeunte: Refer adhuc quod ſubtiliſſime Licetus de aquæ guttulis ſuprà ferrum candens à fabro inſperſis: ſed arctius admirare cum Ariſtotele laticem e Monte Gonio tota hieme erumpentem vberrime; per æſtatem in flammas mutatum, ex eadem fontis ſcaturigine ardentiſſime ſcatentes: quare fieri de aqua ignem & vice verſa de igne aquam concluſit philoſophus: adhuc fortius hanc deprome veri-

rita-

ritatem ex torrente filiceo qui hodie iuxta Arpinatem visitur, qui violento ac rapido cursu ab eminenti scopulo præceps datur in plana marmora; altoque lapsu tam dure concutitur vt ingentes excutiat scintillas diu noctuque conspicuas; clariori luce saltem fumo se prodentes, in tenebris ostendentes verum ignem: non micantem aut vibratum fulgorem qualem silente luna sæpissime cymba nauigantes obseruauimus, cum fragore remorum scindentium aquam erumpentem; aut in vdis arenis ambulantes ex pedum impresso vestigio coruscantem: silente luna dixi, non enim alio tempore conspicitur, occulto quodam naturæ miraculo quod non latuisse Nasonem ostendunt hi versus e lib. 15. methamorph.

Admotis athamantis aquis, accendere lignum
Narratur: minimos cum luna recessit in orbes.

Quid bone Deus, deficienti lunæ cum splendore aut igne? abstrusa sunt sane & admiranda e syderum sizygijs quæ nascuntur in aquis miracula; nobis iam aliquid de his licuit obseruare, in deturbando chironio malo, igneo spiritu (igne volebat Hipp. curari talia) tunc temporis cælitus in aquis agitato; nec dubitauerim, ab Angelo eo instanti moueri aquas, descendebat enim antiquitus in Bethsaidæ piscinam, secundum tempus (ait Ioannes) cur non illud

noui-

nouilunij aut coniunctionis alterius insignis syderum? Scio non vane ab Hæbreorum sapientibus in quatuor anni Tecuphoth (sūt ad solstitialia & ęquinoxialia quatuor puncta Solis accesus); vetitas aquas tanquam noxias & pestilentes bibentibus, sed de his alibi: In illo igitur aquarum fulgore (dictum sit hoc per transennam) ad certam luminis proportionem in spumæ candore se exibente, inuenisset me hercle Scaliger gallinam suam albam; surfuraceas suas squammulas, sed illud apte quidem hoc minus apte.

Illud denique in pręfatis Ouidij versibus aduertendum restat. Quod non contemnendum ardentium aquarum exemplum in Athamante Thessaliæ flumine nobis exhibeat Poeta Sulmonensis.

Sed quando tandē de isto aquarum pelago portum cernimus, mille lucidas pharos in rupibus flagrantes læto clamore de puppi salutemus, ad illarum perenne oleum, perennē flammam ò quanta lux, quantus splendor nostris lucubrationib. Salutabo igitur a limine, nec Ignem ferro conabor scalpere, quid enim post insignem philosophorum turbam montium viscera anathomice dissecabo? Illud indicabo tantum, de neotericis illustrem Ioannem Quignonium prætorem Hispanum, eleganter multorum Historias ardentium craterum nuper descripsisse: Ferdinandum Cardosium Doctorem medicum quondam in studijs sodalem nostrum; modo in curia magni Philippi

lippi doctiorum applausu eruditissimum philosophice enucleasse: Nardium denique virum doctissimum vt suum subterraneum Ignẽ affirmaret omnem impleuisse punctum. Nihil igitur circa Vulcanios crateres aliud dicam præter cathalogum ex quo tantum hauriantur argumenta pro nostro Igne lambente; vt pro suo subterraneo hausit præfatus Doctor, apte enim ampliorem sequitur & æmulatur contractior orbis. Sunt igitur hæc Macrocosmi Ignea spiracula, Sicilia suum habet Ætnam, septemque Insulas olim Eolias postmodum Vulcanias dictas. Campania trucem Vesuuiũ decem & septem hactenus notis incendijs clarum; Hetruria ardentem mõtem in Apenino; Felsina alterum; duo prærerea obseruantur incendia in agro Mutinensi; Misnia præter flagrantem carbonum montem plures recensetignis subterranei caminos; In Loppia regione Russię montes in altum eminentissimi dicuntur, qui ad Ætnæ similitudinem flammas semper eructant; Non destituuntur spiraculis Gothia, Noruegia, & Islandia, referente Olao magno; Nymphei Crater dira Apollinatis suis portendit; Flagrat in Phaselide mons Chimera & quidem immortali, si Plinio credimus, diebus ac noctibus flamma; Flagrat in Bactris Cophanti noctibus vertex; Flagrat in Medis & Cæstia gente confinio Persidis, Susis quidem ad Turrim albã & quindecim caminis maximo eorum & interdiu; Decem admiratur ardentes montes noua Hispania; Inter

M quos

quos potiori miraculo ſuperbum attollit caput Maſſaiæ crather Nicaraguæ Prouinciæ; nec Guatimalæ caminus,mare Pacificum altiſſime nauigantibus ſatis poteſt abſcondi, quin flammarum ac cineris pluuia minacem ſe prodat ac horrendum: an tacebit Meridionalis Peruana America ſuos Aguanſaij, ſuos Quiti truces ignis vomitus? non ſane: hic vltra tercentum milliaria e mari conſpicitur formidabilis plurimo fulgure ac tonitru; ille copioſa ac ſpiſſiori fauilla tenebras conatur inducere mortalibus,Soliſque deliquium mentiri non inepte: Inſula Tenerife inter Canarias non ignobilis & inſula D. Michaelis inter Azorias non minoris famæ perpetuis ignibus famoſiores non iuuident Vulcanis Mexicanæ Prouinciæ: ſexta denique pars orbis incognita, Magellano ignibus tantum nota, tota Vulcania, tota flammea cõſpicitur vt nihil curioſis præter igneum nomen de ſe hactenus prodiderit.

Hi ſunt hiatus horride,oſcitantis vniuerſi: hæ magnæ parentis arteriæ vere aſperæ, quibus mundi Cor ſpiritum ſuum vitalem ventilando fouet ac recreat:Hic verus in centro gignitur, in corde, in ſiniſtro mundi ventriculo qui ſuper aquas ferebatur Domini ſpiritus. (tu magnum ſpiritum intellige, eſt enim hæbraiſmus vulgatiſſimus pro maxima re, Deum aut Dominum vſurpare, vt græciſmus in ſimili fraſi Bouem, dictione Bous præpoſita) In hoc inurere ac ſigillare voluit Deus præcipuum vitæ principium & character; ponere illum quaſi con-

congenitum & innatum in aquis & mox in ſingulis mundi partibus: In illo Oceani fertili parenchimate quaſi mundi Iecore huius ſpiritus præcipuam materiam fabricari, non ſecus quam in humanæ hæmatoſis opere ex tenui ſanguinis halitu, ſic ex humidi aquei pinguiori portione eformari naturalem; mox ad ſiniſtrum cordis ventriculum; ad læuas mundi cauitates, terreas ſcilicet, delatum vlteriori elaboratione fieri vitalem ſpiritum, quem ignem experimur & vocamus, qui mox per totius vniuerſi arterias diffuſus in totam molem, vaſtum macrocoſmi corpus alit, agitat, viuificat, tanquam primum & immediatum naturæ (ne dicam animæ) inſtrumentum; vnde non miror in tanta mundi & hominis paritate crediſſe veteres animatum orbem.

Porrho quod ingenitus & innatus in ſingulis vniuerſi membris non ſecus quam in homine detur hic ſal terræ energiticus oſtendunt quam plurima quibus conceditur illum clarius & facilius detegere, inter quæ igneus ſilex qui concuſſus non in attrito aere ſcintillas excitat ſed à principio interno exerit & vibrat quas in gremio continebat à dominante forma mixti coercitas, incorruptas tamen & integras, ſcio varias in hac lite doctorum ſententias quas libens intactas prætermitto tanquam ab alijs ad intima vſque penetralia agitatas; ſufficit mihi ſic ſenſiſſe ſapientiſſimos viros Fernelium & Scaligerum non ſine Baſilij & Firmiani admiratione ſic enim exclamabat Chriſtianus iſte

M 2 Cicero,

Cicero, *quid quod si durissimi rigoris materiæ si ictu vehementiore collidantur ignis excutitur? num in ferro aut silice atomi latént? quis inclusit? aut cur sua sponte non emicant? aut quomodo semina ignis in materia frigidissima permanere potuerunt?* Sed desine mirari Firmiane, dabo mixta quibus sponte sua emicat ignis, non ferro aut silice duriora, his enim obstat dẽsitas, alijs mollities & raritas fores aperit vt leui excitamento excurrant foras letentes igniculi: Pyrrhites lapis solo digitorum attritu vrit, sic testantur Solinus, Plinius, & Isidorus cuius hæc sunt verba libro decimosexto capite quarto & vndecimo *Pyrrhites*, inquit, *lapis Persicus fuluus, aeris simulans qualitatem ita est dictus quoniam illi plurimus sit ignis siquidem facile scintillas emittit, hic tenentis manum si vehementius prematur adurit propter quod ab igne nomen accepit.*

Lib. de ira Dei ca. 10.

Solin. c. 40.

Plin. li 37. cap. 11.

Isidor. lib. 16. ca. 4.

Adhuc ex Aristotele & Plinio, huiusmodi quædam exarabo non contemnenda quæ leuiori quidem irritamento dent ignes? Traciũ & Nynpheum lapides hic commemorat libro 2. c. 107. & lib. 33. cap. 5. qui aqua accendantur superinfusa: Ille in ipsa Thracia, Spinum; Maritham, Smerillam & in Indica regione e ponto flumine lapidem, quibus omnibus aqua ignem excitat, in visceribus intimis sopitum: sed quid mirum hoc a natura fieri? si quidem ars Callinici mixtura edocuit nõ paucas, quæ modico sputo velocissime accenduntur; retulit schedas Scaliger, consule si liber;

Ex

Ex artificio naturam perſcrutare, præualere in his dices, bituminoſam portionem nec deſiderari calcem, non ſulfur, non naphtam, aut ſimilia quę leui antiperiſtaſi vegetiores exerunt quas abſcondunt flammas; ita ſane, nulla enim naturalia corpora carent iſto ſpiritu, nec aliunde per frictionem aut fortem concuſſum in chalibe ſilice, lauro, aut hædera, ad opera vocandus eſt; adeſt domeſticus artifex qui facile ſciſitatus accurrit: nec venari tibi opus eſt in vago ac libero aere quam intra caſſes domeſticos tenes irretitam volucrem.

Neque tenebris inuolbam mixta naturalia quæ tenebras vincendo, altioris conditionis ignem oſtendunt lucem nimirum quam contrarii irritamento magnifice produnt, non cõcuſſu, non attritu, non aqua, ſed nocte: ecce in noctibus ſcintillantem Carbunculum, qui *nec nocte vincitur* (ait Iſidorus lib. 16.c.13.) lucet enim in tenebris adeo vt flammas ad oculos vibret, idem teſtatut Plinius, lib.37. c.7. vbi de gemma iſta principiſſa fuſe loquitur; quam ad mentem vulgi in Draconis fronte, raro naturæ ornamento micantem pingit lyricus ille fœnix Hiſpanus Gongora his verſibus. Soledad.1.

Qual haziendo el villano
La fragoſa montaña facil llano
Atento ſigue aquella
(Aún a peſar de las tinieblas bella

Aun a pesár de las estrellas clara)
Piedra indigna thyara
(Si tradicion apochryfa no miente)
De animal tenebroso cuia frente
Carro es brillante de nocturno dia.
Tal diligente el passo
El Iouen apresura
Midiendo la espessura
Con igual pie, que el raso
F xò, a despesho de la niebla fria
En el Carbunclo, norte de su aguxa
O el Austro brame, o l'arboleda cruxa.

Admiranda elegantia acumine mixta Cordubensi!

Carbunculum comfundit vulgus cum Draconite gemma fulgoris forsam similitudine, quamuis ista non perhibeatur ignea sod solum candore translucida, sed illud sufficit vt in numerum ignitorum adscribatur. Sic illam ostẽdit Plinius, *Draconites siue Dracontia e cerebro fit Draconum sed nisi viuentibus absciso nunqnam gemmescit* (In quibusdam Isidori codicibus, *Ignescit*) *inuidia animalis mori se sensientis, igitur dormientibus amputant: Sotacus qui visam eam gemmam sibi apud Regẽ scripsit, bigis vehi quærentes tradit & viso Dracone spargere somnifica medicamenta atque ita præcidere, esse autem candore translu-*

cido

cido, nec postea poliri aut artem admittere, hæc ille. Vnde ortus popularis error: Carbunculus namque gemma est in rupe nascens admodum reliquarum sui generis, est enim de Rubinorum familia quorum quinque facit species Belleau in suo Poemate. Carbunculum Balagium, Rubinum, Spinellam, & granatũ, rectius hos quatuor tanquam seruos de Carbunculorum Regia domo statuisset In qua Garcias ab horto pariter Zaphirum agnoscit domesticum, ab hoc ait, differre carbunculũ maturitate ab alijs magnitudine; pondus enim vigintiquatuor quilatum in perfecto & maturo Rubino facit Carbunculum; Preterea hic aucthor rerum indicarum peritissimus hanc ardentem Gemmam nocturno fulgore exuit nec præstat fidem infinitis in contrarium Historijs, Dicam in hac lite quid senserim quia nõ iudico tot veridicis scriptoribus derogandã fidem, Potuit non vidisse Garcias, talem carbunculum qui luceret in tenebris, quia non semper euadunt tales, aut de rupe illa perfectione decorati eruuntur, nam vltra perfectã maturitatem iungi his gemmis arbitror cœlestem vim specificam luminis datricem, non dissimilem illi quam supra, aquis a silente Luna impertitam diximus; Charchedonios ex carbunculorum genere, generari imbre Diuino scribit Rueus, nec reperiri nisi plena luna; sic in regione Indica gemmas reliquas refert Semah Dauid, ex pignitie cuiusdam terræ dum certo tempore aquæ pluuiales descen-

dunt, nec reperiri eo anno quo pluuiæ defecerint: Margaritas similem habere ortum quis non nouit? concipientibus ostreis a rore cœli non quouis sed præfixo tempore decidente: nos in Cantabris cristallum sic produci credimus cum post vernos imbres inueniremus per agros sparsum vt seminatum iudicasses, nitidissimum tamen, hexagonum & magnitudine nucis iuglandis: adhæc glossopetrã deficiente luna cælo decidere authorum constans opinio est; sed quod a Venetis hyalurgis admirando experimento obseruatur est encausti operatio, quod non quouis tempore sed certo anni die perfectum & ad aurifices idoneum efficere valent, quis vero sit dies ille, aut quo astrorum insignitus dominio nondum sat nouerunt statuere, eo quod varius sit secundũ astrorum in illa operatione dominantium aspectum diuersum. Cælitus igitur adquiritur gemmis nitor & elegantia, nec carbunculus noctu coruscabit nisi scintillas excitet motor asterismus; materiam disponunt, rupem maturant, soli natura Solisque radius, sed cum horum singuli sint paralleli non tamen singulis energia eadem, aquo vero illud nascatur opus splendoris; hoc opus.

Carbunculi lumen sequi possunt, procul tamen, non paucæ aliæ gemmæ vibrantes fulgore igneos: Chrysolampis Æthyops, pallidi coloris die, noctu ignei: Chrysopi assius pariter Æthyopicus qui luce cælatur, dispa[?]cit obscuritate, nocte enim igneus est, die aureus: Flo-

gites

gites oſtentans intra ſe quaſi flammas æſtuantes quæ non exeant. Poſt has numera eum Iſidoro Lygnitem, Syrtitem, Hermiſcion, Sandaſirum, Opalum, & mille quibus non concuſſus, non attritus, non aqua, non tenebræ denique ſed meridiana lux intimos euocat ignes.

Extra gemmarum claſſem obſerua in agro Bononieſe ſabuloſum & ſulphureum lapidem qui ad radios ſolares fulgorem cōcipit vt ignitam prunam iudices, quem per plures continet horas.

Calor denique putredinis conditum ignem in ligno marcido ad ſuperficiem ſæpe trahit: valde tritum eſt hoc experimentum, Septentrionalibus tamen nec non Americanis noctu itinerantibus percommodum, ad præſidium itineris dirigendi, præiactis fruſtis per opaca callium, & vt quiſque comitem ſuum cernat ne aberret dorſo ſibi ligat qui cæteros præit, putrem ſplendorem, ſic ſcribunt Olaus Magnus & Ouietus; cuius ſplendoris lucem ex prælibatis facile poſſis colligere vt illius qui ex ſacchari durioris cono ictibus piſtilli per fruſtula comfracto exiire cernimus in tenebris; quod in quibuſdam ouorum teſtis etiam obſeruare euenit, quare non amplius immorabor ſiquidem iamdiu me vocant ignita metheora vt in aere non minus quam in reliquis mundi partibus ignem lambentem ſalutemus.

Metheora igitur ignita omnia propoſitum operis argúmentum apprime illuſtrant ſed liben-

benter alijs relinquo perlustranda ne vltra institutum breuitatis diffusus, metas attingam fastidiosæ prolixitatis: Paucis contentus ero, non referam, cadentes stellas, trabes, gladios, hastas, iacula, clypeos, turres, faces, serpentes & infinita diuersiformia phasmata ignea quibus in spectantium terrorem replentur aera; fælicius enim nostrum microcosmi lambentem ignem præseferunt, Castor, Pollux Helena, fatui, sonori & hærentes ignes qui nō solum naturam & generationem sed nomen etiam lambentium sibi vendicarunt. Concretiones igitur illæ igneæ quibus Tyndaridum gloriā est impertita prisca ætas habent pro materia, viscosam admodum & pinguem exhalationem, sed vndenam illa eleuetur & quo pacto ignem concipiat præter comunem opinionem, mox exarabo si prius quæ a Plinio de illis scribuntur dixerim.

In antennis nauigantium, ait, *alijsque nauiū partibus seu vocali quodam sono insistunt, vt volucres, sedem ex sede mutantes: graues cum solitariæ venere, mergentesque nauigia, etsi in carinæ ima deciderint exurentes: geminæ autem salutares, & prosperi cursus prænuntiæ quarum aduentu fugari diram illam ac minacem, appellatamque Helenam ferunt; & ob id Polluci & Castori, id numen assignant, eosque in mari Deos inuocant.* Hæc ille nec Christiani numine destituunt hæc lumina vt diximus, vulgique mentibus manet alte repostum, ecce vt Canit Diuinus ille Lusitanus Camonius

nius patrio idiomate dum Indicam deſcribit nauigationem.

Vi claramente viſto o lume viuo
Que à maritima gente tem por ſanto
En tempo dè tormenta &c.

Tolerauit primitiua Eccleſia non paucos Ethnicorum ritus, quia nolebat ſæua abolitione deterrere quos vocabat ad gremium, conceſſit ceremoniam, mutauit finem; Hinc cæpit gliſcere apud nautarum chriſtianum vulgus illos ignes ſub Telmi & Claræ Venerari & inuocari nominibus qui vere nihil aliud ſunt quã exalationes non deſcendentes e nubibus neque valida remigum lucta ligniquc quaſſatione elicitę ſed e ſubterraneis & ſubmaritimis antris eleuatæ viſcoſæ & pingues in ſe ipſis ignem deferentes ſopitum, quo agitato inflammãtur, non ambientis frigore per antiperiſtaſim ſed motu quaſi flabello igne vigorem concipiente; eſt huiuſmodi halitus qui ſæpe in alto pelago terræmotum concitat, ſed quid in mari terremotum? Immo inde. ſigna motus futuri coniectat Plinius, *nauigantes*, ait, *facile illum ſentiunt cum ſine flatu intumeſcit fluctus ſubito, aut quatiente ictu, intremere vero & in nauibus poſita, aquæ quam in ædificijs, &c.* Hic tenuior & paucior diu aquarum mole obrutus procellas mouet & fluctus violenter quatit cum vero emergit & diſſipatur ſedatur mare, tunc facile inflammatur in plures feliciter diuiſus, ante propter preocupatum exitum in di-

ram

ram & minacem Hælenam tantummodo erũpere valens, quod etiam viſcidior & copioſior efficit nec mare tranquillat neque innoxius deprehenditur. Hæret ſolidis, ſtridet præ ſalſi vaporis ſodalitio, diſcurrit, vel ſtellarum cadentium in morem fomite ignem alliciente vel ob ſalis pugnam qui ignitus ſalit ſimul & ◡ crepitat.

Ad fatuum vero & hærentem ignem quod attinet, exhalationes ſunt inflammatæ, ille viſcoſis ac bene conglutinatis in ſe partibus, hic rarior ſubtiliorque; vterque in infima aeris regione vagatur & facile, nocturno frigore cogente ſeminarium ignis in calido halitu latens euadit in flammas, quæ per aerem diſcurrentes ad illius motum cientur vnde modo fugere, modo inſequi homines videantur; nam cum nos antecedunt pulſo anteriori aere pelluntur; cum a tergo ſunt vocato ad nos poſteriori ſimul trahuntur, vltro progreditur Cardanus in deſcribendo oſtenta hæc ignea, *quandoque* (ait ex Mizaldo) *infantis effigiem ſe mouentis ignes hos præbere, qui præter id quod equos terreant, etiam homines perturbant adeo vt nonnũquam adducant in præcipitia, & fluuios aut paludes. Quis qui naturales cauſas non norit, non admiretur ignem hunc præcedere ſequentes, ſtareque cum ſtantibus? & quacunque circum aguntur habere ſemper hoc oſtentum ante oculos quaſi equi ductorem atque hominis equi inſidentis aurigam? Contingit vt præter id dum crepitant hi ignes pariant inconditas etiam voces quaſdã hu-*

humanis ſimillimas, vnde minus cordatis credantur demonum præſtigia aut occiſorum errantes animæ, cum præcipue ignitæ huiuſmodi exhalationes in polyandrijs & caſtris poſt inſignes præliorum ſtrages apparere ſoleant, necnon ſæpiſſime militum haſtis adherere vt in Syllę copijs obſeruauit Plutarchus & Seneca in Gylippi Syracuſas petentis lancea, & capitibus eorum qui pendent in patibulis. Sed cur potius in his locis obſeruantur? Cur humanam effigiem cur vocem æmulantur? an quia e cadaueribus viſcoſiores prodeunt exhalationes, an quia corporum figuræ quantumuis putreſcentium, eleuantur excitatæ ab igne interno, vel ab externo calore, putredinis, Solis, aut ambientis aeris iam calefacti multorum hominum concurſu aut tormentorum ignibus agitati. Sic opinatur eruditiſſimus Gafarellius contra antiquorum mentem credentium has vmbras genios malorum aut bonorum, quos ſemper caſtra comitari arbitrabuntur: ille nil aliud præter figuras corporum compactas ex effluuio miaſmatum de putri cadauere eleuatorum quæ in aere nocturno vtpote craſſiori facilius hærent non ſecus quam animantium anhelitus hiberno tempore conſpicitur, æſtiuo propter aeris raritatem deliteſcit, ſic Antipheronis imago ferebatur in obuio aere illius viſui tantum conſpicua, aut forſan vt multi exiſtimant, illius læſæ imaginationi credita quod ſimili pacto credendum eſſe dixerim de figura & vocibus humanis prædictarum

rum

rum exhalationum, quas timidis &'effeminati cordis hominibus effingit timor nocturnus & cogitationē eo peruertit vt simplicem ignis in falsa materia stridorem, eiulatum asseueret, & inordinatas flammæ sequentis pabulum extensiones humana membra figuret. Illam tamen opinionem de figuris corporum eleuatis diffuse & eruditissime profitetur præfatus auctor in suo Cribro Cabalistarum & alibi; nos interim iudicium relinquimus lectori Philosopho. Dum ignem cum Pytagora miramur vnum per omnia penetrantem; in Cœlo collustrantem & dilatatum: in inferno coarctatum tenebrosum, cruciantem: in meditullio de vtraque participem: in terra refossione fumantē; in lapidibus chalibe excussum: in aquis fontes & puteos calefacientem: in mari excitantem procellas: in aere phasmata: in animātibus denique omnibus inclusum fouentem vitam, exclusum eructantem prodigia.

Sed nimis prodigia negauimus in lambente igne; a causis internis nec non ab efficiente causa prorsus illa explosimus; verum est: finalem non omni prodigio audemus exuere; esse aliquid Diuinum in morbis clamabat Hippocrates; cur non absque morbo, in certis indiuiduis certum diuinitatis specimen licebit afferere? Plenæ sunt exemplis scriptorum paginæ, sufficiat nobis pro vltima lucubratione eorum quos claros fecit ignis lambens felices euentus obseruare.

Caput

Caput Vltimum.

Fœlix illi euentus auguratur ex antiquorum monumentis.

SI præcitatas Lambentis Ignis Hiſtorias, iterum perluſtrauero: ſi affectum ipſum impenſius perpendero; non triuialia de plebe exempla inuadentem; ſed altiora lambentem dignitatum ſydera: ſi denique penitius contemplatus fuero ignis huius ſcintillulam quos inuaſerit, de ſorte quamuis infima ad Mageſtatis faſtigia euehentem; quid non clamabo in igneo affectu latentem Dei digitum? Quid non prodigium affirmabo? Quid non Diuini numinis fauſtum omen? Quid enim quod Aſcanio Iulo Latinorũ ſceptrum; Seruio Tullio Romani Regni clauum; Vbambæ Viſegothorum gubernaculum, ab aratro, ab ex ilio, a ſeruitule, promiſerint ſacri iſti ignes? An fruſtra præſagus Anchiſes puero flagrante crine coruſcanti auguratur Imperium? Immo prodigium protinus ſimili nec fallaci confirmatur euentu, mox cum Parte Ænea poſt duros labores profugus in latium venit; Parenti in regno ſuccedit, ciuitatem ædificat, fœlici denique auſpitio naſcentis imperij fortes moderatur habenas.

Cri-

——————— Crinemque flagrantem,
Excutere & ſanctos reſtinguere fontibus ignes.
At Pater Anchiſes oculos ad ſydera lætus
Extulit, & cælo palmas cum voce tetendit
Iupiter omnipotens, præcibus ſi flecteris vllis
Aſpice nos; hoc tantum, & ſi pietate meremur
Da deinde auxilium pater, atque hæc omnia firma.
Vix ea fatus erat ſenior: ſubitoque fragore
Intonuit læuum: & de cælo lapſa per vmbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam, ſumma ſuper lambentem culmina tecti
Cernimus Idea claram ſe condere ſilua
Signantemque vias, tum longo limite ſulcus
Dat lucem, & late circum loca ſulphure fumant.
Heic vero victus genitor ſe tollit ad auras

Effaturque Deos & Sanctum sidus adorat.
Iam iam nulla mora est: sequor & qua ducitis adsum:
Dij patrij, Seruate Domum Seruate nepotem
Vestrum hoc augurium, Vestroque in numine Troia est.
Cedo quidem, nec, nate tibi comes ire recuso, &c.

Quid Prodigiorum peritissima Tanaquil cognouit in dormiente Puero, vt seruum regię nutriri, artibusque omnibus quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitari solent curauerit erudiri? Diuinum mehercle chyrographum; sigillum igneum quo diuinitus sigillabatur schedula promissæ Magestatis, namque,

Seruius a cælo semina gentis habet.

Quid, consultos vates propter emergentem dę terræ vasto hiatu lucidum ignem (vt habetur apud Plutarchum) magnam in cęlo coruscantem flammam, Hastas denique vexillorum per se ignem emittétes; pronuntiare coegit Syllam vtpote singularem aspectu, bonitate, principatu, sociales sedaturum tumultus, vnionis Romanę dissociabiles pestes; Collata certe, diuinitus naturę ignium celeberrima eius facinora, quæ Imperatoris magni, penes ciues, maximi

penes amicos, felicissimi penes hostes gloriam vltro obtulerunt.

Quid, simile augurium promisit homini attritæ clamidis: quid visa stella (refert Seneca) super lanceam Gylippi Syracusas petentis cõsistens? ecce Syculorum desperatam libertatem, Atheniensium non speratam fugam; Gylippi tandem humili baculo se fulcientis insignem victoriam & virtutis bellicæ immortale decus & monimentum.

Cœlesti simili charactere credidit Vbãba; crediderunt Hispani proceres mutatum iri aratrum regali sceptro, cucullum rusticum purpura ac diademate. Æque felicis euentus (scribit Maximus Valerius) fuit illa flamma quæ ex Lucij Martii ducis duorum exercituum quos interitus Pub. & C. N. Scipionum in Hispania debilitauerat capite concionantis eluxit; namque eius aspectu pauidi adhuc milites pristinã recuperarent fortitudinem admoniti, octo & triginta hostium millibus cæsis, magnoque numero in potestatem redacto bina castra Punicis opibus referta cæperunt. Neque huic vni victrices promittit lauros mirus iste microcosmi fortunatior planeta Ignis Lambens: Macedonem magnum e simili eripit periculo dum ad terribilem magestatis vultum pauidi cadunt insidiatores Indi, dum ad vibrata ex ore Regio fulgura perterriti dant terga barbara.

Theodorici Regis Gothorum Pater simili monitus augurio vidit filium vix cuiquã Romano-

manorum Cæſarum, Prudentia, Liberalitates, Iuſtitia, aut Fortitudine cedentem. Tiberio denique non ſolum ab oculis emittit ignitos radios ſed equus quo inſidet ore videtur flammigare dignitatis futuræ omine proſperrimo.

Sed quid moror in enumerandis exemplis proſpera portendentibus; hoc vnum dixero hos ignes vt plurimum in apogeis ſublimioribus obſeruari: nec mirandum; eſt ignis natura talis quæ ſupremas ſemper appetat ſedes; & quas forte de infimis occupauerit celerrima mutatione ad aſtra eleuet ac extollat, vt non ſolum futuræ dignitatis ſit fœlix augurium ſed iam obtentæ fœlicitatis condignum monimẽtum. Sic magno Hæbreorum corypheo Moiſi mortalium citra controuerſiam fœliciſſimo micat fulgoribus ſacra facies, & ſacro igne lambente decorata iam teſtatur terribilis ſe factum de ſeruo Principem de limo Nili eleuatum ad aurum & purpuram: de exilio ad Regnum: de caula ad aulam Horebi diuinã, ad aulam Sinai, in quibus (ò humanæ mentis improportionata nimis facilitas! ò immenſi bonitas Optimi!) facie ad faciem ſicut amicus ad amicum, frui datum diuina conſuetudine; felici illo mageſtatis amicimine radiari diuinitus & diuina flamma, quæ, Sacras *lambere Comas, & circum tempora paſci*, cum reuerenti tremore obſeruata eſt, illuſtrari? Sic differunt phiſici lambentes ignes a Diuinis, illi philoſophorum torquent ingenia; iſti Theoſo-

ſopho-

ſophorum eleuant mentes; ſed vterque ſemper fœlicitatem præcurrit aut comitatur: Dicite Diuina Numina; Seraphicæ Mentes, Flagrantes Rotę, Sanctitatis Ignita Añimãtia, Ardentes Prunæ, vt fulgens & coruſcans veſtet amictus veſtram inefabilem arguat lætitiam, manſioné veſtram glorioſam ſub Honoris Solio ſub Quadriga Cõſumentis illius veri Ignis tamquam diffuſum quoddam lumen ad eſſentiali lumine, non ſecus a vobis in igne phiſico, veſtra inuiſibilis depingitur imago. Ea enim de cauſa (aiebat Hierarchicus ille Dioniſius) Diuina eloquia igneam deſcriptionem præ omnibus ferme honorare videntur. Per igem namque ſignari arbitror cœleſtium ſpirituum faciem Dei maxime ſpetie inſignem; nam profecto ſanctiſſimi qui de Deo loquuti ſunt viri, ſummam illam & nullis obnoxiam figuris formiſque ſubſtantiam varie in igne deſcribunt: quippe qui Diuinæ proprietatis, ſi dici liceat in rebus viſibilibus plurimas ſeruat imagines. Nempe ignis ſenſibilis in omnibus, per omnia ſine vlla ſui admiſtione proficiſcitur & ab omnibus prorſus excipitur, cumque lucidisſimus ſit, ipſe tamen non admota materia in qua ſuam vim ſuumque officium oſtẽdat, in ſe ipſo occu tus atque incognitus manet, neque admittit habitum, neque patet aſpectui: ipſe omnia ſuperat & ea quibus inſederit in ſuum traducit officium, omnibuſque quomodolibet ſibi appropinquantibus, ſui conſor-

ſortium tradit: renouat omnia calore vitali; fulgoribus apertis illuminat, teneri miſcerique non poteſt: diſcernendi vim habet atque immutabilis eſt; ſuperiora ſemper petit & in acumen tendit, agilis, celer, ſublimis, nullaque vi vt inferiora petellat adigi poteſt: ſemper mobilis, eodemque motu vigens: alia mouet, complectitur omnia, cum tamen adſtringi ipſe non poſſit, cumque alio ipſe non egeat, ſibi ipſi tamen clam incrementa ſuppeditat, atque in qualibet ſuſcipiente materia ſuæ mageſtatis potentiam indicat, efficax, potens, omnibus inuiſibiliter præſens, ſi negligatur non eſſe videtur: attritu aut veluti irritatione quadam naturaliter ac proprie continuo lucentem excitatur in flammam, rurſuſque incomprehenſibili abuolat modo: cumque affatim omnibus participationem ſui locupletiſſimam præbeat nunquam tamen ipſe minuitur. Quem igitur non beabit mirus iſte hoſpes? quem non ditabit? quem lambendo non efformabit in procerum digitatis ſtatum? pauci ſane inauſpicati abibunt illo ſodali. Macte igitur igneo animo, Virago Illuſtriſſima, clarior fatidica Manto aut Caſſandra, illæ mente vel artibus, tu corpore vel artubus vaticinatrix: illæ vmbris tu luce, illis raro data fides; tibi tuoque coniugi Clariſſimo, Vati eximio, inſigni Philoſopho hodie præſtantius erogata, dum ab Igneo VRbano com BVRI, amore paterno; illuſtrari Palatinis honoribus cernitis chara pignora

dum

Herôdianus incommodo. dum à Mellitiſſimo Chriſtianæ Reipublicæ Fauo fauores lambitis dulciſſimos quibus ſcintillæ veſtræ læuo erumpentes augurio vere inter honores Auguſtales (vt erat de more antiquo) habeantur & in faces perenni ſplendoris creſcant proſperrime: Stellæ veſtre cadentes in aſtra candentia & alma veſtra domus in pyramides erigatur & obeliſcos. Canebat namque Heſiodus. *Heſiodus.*

Igne ſuccenſo Domum lætiorem videri & honorabiliorem.

F I N I S.

Scribebat 27. die Martij 1642. Veronæ.
Ezechiel à Caſtro Doctor Medicus.

